

Johann Latermann


Johannis Latermanni, SS. Theologiae Doctoris ... Disquisitio Theologica De Gratia Et Libero Hominis Arbitrio : Regiomonti in Borussia primum excudi coepta, post autem ob iter in Germaniam susceptum Rostochii continuata, mense Iulio, anno MDCXLVII.

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730149811>

Druck Freier  Zugang





1867.

Fg - 1867.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

dis. 18.

JOHANNIS LATERMANNI,

SS. Theologiæ Doctoris & in
Academia Electorali Brandeburgica
Regiomontana Professoris
Publici,

DISQUISITIO THEOLOGICA DE GRATIA ET LIBERO HOMINIS ARBITRIO

Regiomonti in Borussia pri-
mum excudi coepta, post autem ob iter
in Germaniam susceptum Rostochii conti-
nuata, mense Julio, anno

clō lōc XLVII.




ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Bibliotheca
Academica
Regiomontana

Bibliotheca
Academica
Regiomontana



Plurimum Reverendis, Claris-
simis & Excellentissimis Viris, qui in
omnibus Germaniæ, vicinorumq; regnorum &
provinciarum Academiis ac præcipuis urbibus in varia-
tam Augustanam Confessionem profitentur, Do-
minis, Fautoribus, Patribus & Fratribus
meis in Christo suspiciendis,

S. D.



Bicennium jam effluxit, Viri plurimum Reve-
rendi & Excellentissimi, ex quo habitum fuit Thoruni-
ense Colloquium. Quod, si laudatissimum Serenissimi
& Potentissimi Poloniæ Regis, Dn. nostri Clementissi-
mi, propositum spectetur, amicum & charitativum fuit,
esse certè debuit; sin ad ea, quæ non Thorunij tantum,
sed alibi etiam consecuta sunt, respiciatur, irritativum magis, quàm charita-
tivum extitit. Ego, cum tempus Colloquio destinatum præterlapsum esset,
cum Dn. Theologis Regiomontanis, quibuscum familiaritatem duran-
tè illo contraxeram, Regiomontum discessi. Cumq; continuandorum,
studiorum, cum primis autem instituendorum exercitiorum Academi-
corum gratiâ eò venissem, finem, quem intendi, eò facilius me consecutu-
rum speravi, si aliquid elaborarem & publico eruditorum examini ex-
hiberem. Calamum itaque arripui, & disputationem prolixam satis de
prædestinatione conscripsi. Quæ cum à Dn. Seniore Ordinis Theolo-
gici, D. Johanne Behmio, futuro tum disputationis meæ Præsidente, diligentissi-
mè perlecta, nec ejus tantum, verum etiam Spectabilis Dn. Decani, D. Chri-
stiani Drejeri, ut par erat & statuta Facultatis requitebant, censurâ appro-
bata esset, typis exscripta & pro more Academiæ publicè distributa fuit. An-
tequam autem habita est, partes concionandi in templo Aulico à Dn. Senio-
re, nunc venerando Socero meo, semel atq; iterum mihi demandatæ sunt.
Quas cum obiissem, nihil tale opinanti, quin, quod Deus novit, non cogi-
tanti accidit, ut unanimi omnium quinq; veteris oppidi Ordinum consensu

ad

ad exploratoriam, quam vocant, concionem eligerer. Quod quamprimum innotuit, reperti fuere, qui me, hominem nunquam visum, nunquam auditum, civibus suspectum reddere allaborarunt. Quin surrexit, qui disputationem meam, quæ publicam lucem tum adspexerat, hæresum & damnatorum errorum accusare non dubitavit, seq; id publicè demonstraturum, pollicitus est. Hinc animi civium Academicorum & urbis suspensi. Ego, quamprimum rumor iste ad aures meas pervenit, Virum, quocum aliàs in arenam nunquam descendissem, eà, quæ par erat, modestià ad opponendum invitavi. Cumq; ab ipso benignè exceptus, nullius penitus erroris coràm insimularus, & optimis tandè verbis dimissus essem, bene speravi, amicis lata nunciavi, & Deo pro charitativo isthoc colloquio gratias egi. Præter omnem autè spem & expectationem sub injuriam statim XXII. Martii subsequente publicæ *σπράξως* exercitatio mea tot tantorumq; errorū dampnata, & indigna proclamata fuit, quæ ad publicam cathedram admitteretur. Quæ accusatio utut atrocissima fuerit, ita tamen postmodum disputatum est, ut à plurimis innocentie laudem reportarim. Animus tum erat, finita illà acerbissimà concertatione acquiescere, & silentiò ulterioribus turbis ansam præscindere. Cum autem non in Academia saltem & urbe, sed tota insuper provincia ut suspectus & futurus studiosæ juventutis seductor præscinderet, homo peregrinus supremi Magistratûs auxilium imploravi, nemine amicorum, sed Deo, ut planè persuasus sum, consilium hoc mihi suppeditante, Serenissimo itaq; Electorem supplex rogavi, legatos mitteret, confessioni nostræ Lutheranæ addictissimos, quibus præsentibus denuò disputaretur. Celsissimus Princeps pro sua erga injustè oppressos singulari clementia promptus annuit, & magnam Borussiæ Cancellarium, supremum Dicastrerii Aulici Præsidentem & primariū ejusdē Adfessorē misit, viros Illustres & Generosos, quib. adfidentibus XIII. Aprilis ita rursus disputatum fuit, ut & ipsi partem antea innocentie laudem mihi haud obscure tribuerent. Quibus ita peractis cives veteris oppidi, quod mei cupidissimi essent, supplices Serenissimo Electori literas obtulerunt, in iisq; rogarunt, denuò legati mitterentur, iisq; tum Theologi, tum Pastores ad jungerentur, quibus præsentibus ille, qui me in numerum Collegarum adsciscere recusabat, errorum, quorum accusabat, me convinceret. Factum id est. Ego fufis primùm in templo cathedrali calidissimis ad Deum precibus præsentis animo accessi. Quem autem errores mihi demonstratorum confidebam, is comparere detrectabat, non obstante, quod à Serenissimo Electore aliquoties comparere jussus esset. Tandem cum à Generosis &

Nobilissimis Dnn. Legatis per Scribam Consistorii urgeretur, & obsequii su-
premo Magistratui debiti admoneretur, ne sic quidem adduci potuit, ut acce-
deret. Chartâ tamen misit, in qua septem, nî fallor, errores, ut appellabantur,
consignati erant, Qui cùm à venerando Facultatis Theolog. Seniore prælecti,
& mea de singulis sententia cognita esset, communibus omnium suffragiis
innocens declaratus, & ab uno Dnn. Legatorum publicum innocentia te-
stimonium mihi promissum fuit. Quod cùm cives, qui me exoptabant, inau-
divissent, & aliàs ob testimonium Ordinis Theologici de orthodoxia mea
prorsum securi essent, me ad *δουμασκήν*, quam dixi, concionem ad-
mitti petiverunt. Quod tandem etiam, quamquam difficulter admodum
& vix ac ne vix quidem, impetrarunt. Habitâ concione illâ, electio institu-
ta est. Consul civitatis cives templum intrare, & ardentissimas ad Deum,
preces fundere jusit, quò ille virum monstraret, quem muneri isti admo-
tum vellet. Equidem multorum animi civium variis artibus transver-
sum acti jam erant, ita, ut reliquis, qui desiderio mei flagrabant, parum
spei superesse videretur. Præter spem tamen per majora trium Ordinum
vota ad Diaconatum electus sum. Judicent jam omnes, quibus *ἀνευ πρῶ-
τηματ*Ⓞ judicandi facultas suppetit, annon vocatio illa pro legitima &
divina prorsû haberi possit! Deo igitur, qui mihi porro obstiterunt, aliquan-
do facti sui rationem reddent. Mihi profectò non obfuerunt, sed profue-
runt, & vel inviti præclarissimè de me meriti sunt. Dum enim variis mo-
dis divexatus, præsentibus Illustribus & Generosis, quos supra memoravi,
Legatis disputare & fidei meæ rationem reddere necessum habui, iis inno-
tui, & Serenissimo Electori ab iisdem commendatus sum. Qui proinde ex-
traordinariam SS. Theologiæ Professionem mihi decrevit & demanda-
vit. Ita *Dominus vertit nihilominus in adjutorium*, (verba Augustini mea
facio,) *quod diabolum machinabatur in perniciem*. Cæterùm muneri Aca-
demico destinatus de honoribus, quos illud requirit, sollicitus fui, ac pro-
inde abjectâ omni cunctatione Rostochium abij, ibiq; pro consequendis
iis ea præstiti, quæ præstare convenit. Vix autem octiduum ibi exegeram
& literæ ex utrâq; Prussia advolabant, quibus nonnulli aditum ad hono-
res, qui aliàs omnibus bonis & doctis viris patet, magnâ animi contentio-
ne præclusum ibant. Quapropter Dnn. Theologi Rostochienses, qui per
juramentum & conscientiam suam hominem tot tantisq; erroribus ob-
noxium ad summos honores admittere non poterant, singula examina-
runt, & in sententiam meam diligentissimè inquisiverunt. Cùm autem
inno-

innocentiam meam & ipsi deprehendissent, insuper habitis Prussiacis literis id fecerunt, quod viros graves & constantes decet. Rostochiò in Prussiam reversus quantis cum difficultatibus & adversitatibus denuò per aliquot menses colluctari necesse habuerim, omnes norunt, qui in patria hospites non sunt. Quòd si singula persequi conarer, dies me deficerent. Supremo igitur injustè oppressorum patrono gratias potius agam, quòd me forti brachio suo sustentare, & tandem eluctandi ac ex tot fluctibus emergendi virtutem largiri dignatus est. Unum tamen atq; alterum adhuc addam. Superatis multis difficultatibus speserat, litem interveniente Illustrium Regentium autoritate, quòd sæpiùs jam ante tentatum erat, tandem compositam iri. Quapropter etiàm utriusq; in aulam vocati sumus. Caterùm qui adversam partem mitiorem factam esse persuasus eram, non sine maximo animi mœrore ex Illustribus Regentibus intellexi, me denuò atrocissimè accusatum, & tot capitalium errorum reum factum esse. Quam ob causam omnibus, quibus potui, precibus supplicibus rogavi, Illustrès Dn. Regentes iis armis mihi uti permitterent, quibus ipsa natura in tali bello pugnare & justam sui defensionem suscipere jubet, h. e. ; ut per legitimam & accuratam disputationem veritatem inquirere liceret. Sub gravi etiàm pœna ad moderatam & ab omnibus convitiis procul remotam collationem ultrò me obligavi, ut adversa parti idem injungeretur, enixè rogans. Cui cùm ab Illustribus Regentibus hoc propositum esset, initio quidem difficulter adduci potuit. Quia tamen justissima juxtà & æquissima erat postulatio illa, tandem consensit. Die disputationi dictà duo præcipui comparuerunt. Verùm non tam disputandi, quàm protestandi & litigandi animo; ut res ipsa docuit. Quamquam enim modestissimè eos invitavi, per integrum tamen fermè bihorium frustra clamavi, nec unicum, ut vel centies per Christum rogavi, argumentum impetrare potui. Donec tandem unus ex præcipua nobilitatis Prussicæ viris, qui aderat & indignitatem rei ulterius, ut videbatur, ferre non poterat, vicinum suum ad proferendum argumentum adhortatus fuit. Ubi unicum in gratiam Generosi Dn. Hospitis in medium allatum est, ad quod bis per instantiam, ut in Scholis loquimur, semel per limitationem respondi. Ipsum argumentum unà cum responsionibus huc adscriberem; sed nolo crabrones excitare: pacem & concordiam unicè quero. Atq; ita tum finita est disputatio. Nec ego sine præsentissimo vitæ periculo ob quosdam haud obscurè ad seditionem pronos in cathedra constitutus fui. Elapso octiduo libellus famosus publicè affixus est, horrendis

dis convitiis, gravissimis calumniis, & atrocissimis injuriis adeò turgidus, ut Orcus horridiorem exspuere non possit. Nec in me saltem, sed in Reverendos quoq; Dnn. Collegas meos injurius. Eximium quidem Studioforum nomen præ se ferebat; quotquot autem honestatis amantes erant, autorem pro homine nequam, ut reverà est, proclamare non dubitarunt. Ego, cum mihi primùm perlectus esset, risu eum, quod DEUS novit, excepi, de eo summopere lætatus, quòd nihil quicquam contineret, de quo mihi malè conscius essem. Re ipsa ibi expertus sum, quantum animus benè sibi conscius solatium afferre possit. Et ista præcipua sunt, quæ adduxi, & publicà, si opus est, fide muniti possunt. Videt quilibet, quantum ex levibus initiis incendium exortum sit. Qui ei fomentum præbuerunt, DEO rationem reddent. Ut jam extinguendo omnes manus admoveant, rogatos volo, neq; alio sine ista attuli. Quod verò ad ipsam disputationem meam attinet, bono eam animo, ut DEUS mihi testis est, evulgavi, nulloq; alio, ut supra insinuavi, sine, quàm ut Professoribus ac studiosæ juventuti in Academia Regiomontana innotescerem, & iis, quibus debui, meam industriam, & acquirendæ solidioris doctrinæ studium porro probarem. Quò sine etiam omni ex parte non excidi; præterquam enim quòd disputatio mea magnis hinc inde Viris, ut comper- tum habeo, non displicuit, fuerunt etiam in Academiis, qui eruditionem & dexteritatem, quam in thesibus meis sibi deprehendisse visi sunt, publicis literis commendarunt. Omnibus tamen non satisfeci: fuerunt enim, qui in doctrina, fuerunt, qui in modis loquendi aliquid notarunt, & animadversione dignum judicarunt. Cæterùm (quod pace illorum scripsero) meam in omnibus mentem haut satis adsecuti videntur, illi cum primis, qui in doctrina aliquid reprehenderunt. Id quod eam ob causam sine dubio factum, quòd mole aliorum, & graviorum fortassis negotiorum obruti, prolixam disputationem meam, eiq; additam declarationem pervolvere non potuerunt. Ut igitur & illi, quæ mea in singulis sententia sit, planius & plenius cognoscant, & innocentia mea omnibus innotescat, id, quod multis bonis, prudentibus & cordatis Viris placere intellexi, facere & mentem meam in gravioribus quæstionibus paulò pluribus exponere, nec non ad oculum, quoad fieri potuit, demonstrare volui, tum quòd ea, quæ in disputatione mea ipsam doctrinam concernunt, & in controversiam vocantur, vera, catholica & orthodoxa sint, tum quòd præcipuæ loquendi formulæ, quæ à nonnullis ut duriores & inusitatæ notantur, vel communi usu frequenten-

tur.)

tur, vel certè classicis & optimæ notæ scriptoribus usurpatæ sint. Quòd si
fortè durius verbum hic vel illiè excidit, nunquam dictum, nunquam scri-
ptum sit. Tanti etiam pacem & tranquillitatem publicam aestimare didici,
ut à loquendi modis, quos vel ab inquietis violenter in alienum sensum ra-
pi, vel à simplicioribus in sequiorem accipi video, prorsum abstinere ultro
paratus sim. Illud tamen mihi demonstrandum fuit, tum quòd locutiones,
(quas nonnulli improbarunt,) & veteribus & recentioribus orthodoxis usi-
tatae, tum quòd sensu sano & catholico (id quod caput rei est,) à me adhibita
fuerint, adeoq; eas propter tot tantiq; errores mihi tribui nullà ratione,
possunt. Deum etiam sanctè testor, in omni vita mea nunquam mihi in
mentem venisse, ulli istorum errorum adstipulari, qui nonnullis in exerci-
tatione mea visi sunt comprehensi, & cum hac fiducia coram tribunali Je-
su Christi aliquando comparebo. Vobis autem, Patres & Fratres in Christo
pl, honorandi, hunc laborem meum eam ob causam inscripsi, ut, quoniam
in specula ista constituti estis, quæ ad pacem Jerusalem faciunt, magnà so-
licitudine curetis. Sciatis, me in nostra Catholicorum Protestantium seu
Lutheranorum, ut vocamur, ecclesia natum & ab iis parentibus educatum
esse, qui ob sinceræ religionis confessionem bis exiliùm & omnium bono-
rum suorum jacturam passi sunt. Sciatis, me nullà alià, quàm orthodoxâ
ecclesiarum nostrarum doctrinâ imbutum esse. Sciatis, quòd ei ex animo
semper adhæserim & adhuc adhærescam, semperq; (Dei gratiâ porro me
prosequente) tenacissimè adhæsurus sim. Quòd si is essem, quem adversa
pars me esse clamat, tyrannidi quorundam dudum me subduxissem. Ca-
tholicam ecclesiarum nostrarum doctrinam hætenus pro virili mea pro-
pugnavi. In ea porro contra quosvis veritatis adversarios defendenda-
me, quantum per Dei gratiâ in me erit, ~~non~~ ^{non} habebitis nunquam
non indefessum. Non video, Viri Excellentissimi, quid amplius requiri à me
possit, præsertim cum insuper juramentò, & bis quidè, in nostra Regiomon-
tana semel, semel in Rostochiensis Academia me libris ecclesiarum nostrarum
Symbolicis ad unum omnibus jam adstrinxerim. Valeant, qui istis omnibus
non contenti eò prolabantur, ut me sceleratissimis mortalium (ex quorum
numero per Dei gratiam non sum,) h. e. iis accensere non erubescant, qui
aliud sentiunt, aliud ore pronunciant. Quid, quæso, aliud faciunt, quàm
ut pro lubitu sese scrutatores cordium & renum constituant, & ita in thro-
num divinitatis profanâ temeritate subvehant? Deum oro, ut hoc ipsis
ignoscat. Ipsos quoq; per miserationes Dei & vulnera Jesu Christi rogo,
ut

ut pacatè & tranquillè mecum vivant, ut gregi parcant, quem Deus sanguine suo mercatus est. Vanissimis suspitionum umbris ducti ea de me scripserunt, quæ capitis periculum accelerare possent, nisi murus aeneus, h. e. animus benè sibi conscius me tutaretur. Literas illas indigito, quas ad Academiâs & Ministeria Germaniæ perscripserunt. In quibus (ut mollissimè loquar) multa continentur, quæ longè aliter se habent, ac ibi narrantur, nec mihi in æternû à quoquam demonstrari poterunt. Quapropter etiam in jus ipsos vocare potuissem: nec defuerunt ex amicis, qui me sapiùs instigarunt; sed paci & tranquillitati publicæ omnia hæcenus dedi, adhuc do, & omnia ultrò condono. Præsertim quia non diffiteor, quædam initio ex bono Zelo profecta videri, & bonis etiam viris falsis narrationibus imponi posse. Oro deniq; ut, si mihi quoq; patientia nimis læsa durius, verbum nonnunquam imperavit, & ipsi ignoscant. Veni, Princeps pacis, & pacem tuam nobis elargire! Vos autem, sanctissimi veritatis & pacis Sacerdotes, adversarios meos suasionibus vestris ad modestiam invitate & quietem, ne nostræ religionis hostibus nos ridendi & differendi ansa porro subministratur. Valete & bono ecclesiæ miserè dilaceratæ diu feliciter agite. Dabam Rostochii XVII. Julii anno M. DC. XLVII.

P. S,

De reliquis, quæ adversa pars in Exercitatione mea de prædestinatione & aliàs notavit, mentem meam in Corollariis, disputatione de Invocatione Sanctorum Regiomonti pro loco habitæ primâ vice subjunctis, exposui. Puto omnibus bonis & cordatis ibi satisfactum esse. Quòd si tamen alicui illorum, qui in Academiis Professoriâ dignitate gaudent, scrupulus forte restat, si pacificus est & moderatus, amicè & fraternè super ea re mecum conferat. Talem me deprehendet, qui nihil quicquam in iis, quæ ad veritatem & pacem aliquid faciunt, in se patitur desiderari.

Johannes Latermannus,
SS. Theol. D. & P. P.

CUM DEO
Disquisitio Theologica
De gratia & libero arbitrio.

QUÆSTIO I.

An homo post lapsum in rebus spiritualibus, h. e. ad conversionem & salutem pertinentibus, speciali & intrinsecus operante Spiritûs S. gratia indigeat?



Pelagius, natione Scotus, professione Monachus circa annum salutaris *ἑξακτομῆτατος* quintum, sive, ut alij existimant, decimum super quadringentesimum, gravissimos errores in ecclesia spargere cœpit, quorum præcipui ad quaternariû numerum à nonnullis revocantur. *Primo* originalem naturæ humanæ depravationem, quam peccatum originis appellamus, cum complicibus suis inficiatus est, & in eadem perfectione unumquemq; procreari docuit, in qua Adam ante lapsum fuit. *Deinde* Adamum moriturum fuisse statuit, etiamsi non peccasset, adeoq; mortem non esse pœnam seu stipendium peccati, sed simpliciter ex necessitate naturæ provenire. *Præterea* omnem specialis & internæ gratiæ necessitatem è medio sustulit, dum hominem naturalibus liberi arbitrii viribus ea, quæ ad salutem necessaria sunt, præstare posse adstruxit. *Deniq;* hominem perfectè legem Dei in hac vita implere, adeoq; omnibus numeris absolutam justitiam consequi posse, arbitratus est. Qui quatuor Pelagij errores principales, ut dixi, censentur. S. Augustinus alicubi præcipuè tria esse dicit, quæ adversus Pelagianos catholica defendat ecclesia. Primum ad gratiam pertinet: alterum ad imperfectam hujus vitæ sanctitatem :

A

ter-

l. 11. de bo- no per. seu. c. 2. tertium ad peccatum originale. Verba ejus ita habent: *Tria sunt, ut scis, quæ maximè adversus eos catholica defendit ecclesia. Quorum est unum, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, quoniã Dei dona sunt, & Dei gratiã etiam conferuntur merita universa justorum. Alterum est: in quantacung, justitia sine qualibuscung, peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur. Hæc ille ibi. Maxime cùm dicit, se de præcipuis Pelagianorum erroribus loqui, in- sinuat.*

Cœterùm relictiis aliis illum errorem nunc videamus, qui necessitatem gratiæ concernit, ubi Pelagius sese polypi instar subinde mutavit. Primitùs omnia naturæ adscriptit. Cùm autem innumera Scripturæ loca, quæ gratiam Dei efflagitant, à catholicis obijcerentur, ipse quoq; vocabulo gratiæ uti cœpit, ita tamen, ut eandem sententiam, quam prius foverat, retineret. Per gratiam nimis ipsam naturam cum libero arbitrio conditam intellexit, quam idèo gratiæ nomine indigitari posse arbitratus est, quòd homo præter omne meritum talem à Deo naturam, rationalem videlicet & liberam, consequatur. Huc pertinent illa Augustini verba: *Cùm ab istis (Pelagianis) queritur, quam gratiam Pelagius cogitaret sine ullis præcedentibus meritis dari, quando (in judicio ecclesiastico Palæstino) anathematizabat eos, qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari: respondent, sine ullis præcedentibus meritis gratiam ipsam humanam esse naturam, in qua conditi simus: neq; enim antequam essemus, mereri aliquid poteramus, ut essemus. Hæc ibi. Porro cùm ex divinis literis ostenderetur, gratiam naturæ superaddi, adeoq; idem quid cùm natura esse non posse, Pelagius gratiam à natura distinctam conees- sit, verùm externam saltem, in lege scilicet & doctrina, siue externa tantùm oblatione & predicatione verbi positam. Quòd spectat istud Augustini: *Gratiam Dei & adiutorium, quo adjuvamus ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atq; doctrina; ut videlicet, cùm adjuvat Deus hominem, ut declinet à malo & faciat bonum, revelando & ostendendo, quid fieri debeat, adjuvare credatur. Hæc iterum ille, qui alibi duo ista rursus ita complectitur: *Illam gratiam DEI, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis nostris præcedentibus meritis ab illo accipi nostra***

ep. CV ad Sixtum Presbyterum.

l. 1. de grat. Christi contra Pel. & Cal. c. III.

Hæresi 88.

nostra natura, ad hoc tantum ipse adiuvante, ut discamus, quæ facere & perare debeamus. Ex quibus, ut & alijs similibus locis manifestissimum est, Pelagium in ea fuisse sententia, verbò extrinsecus prædicatò in naturalibus liberi arbitrij viribus situm esse, evangelio credere, quin ea omnia præstare, quæ illud à salvandis exposcit. Præterea & tertio, cum catholici doctores urgerent, Apostolum de gratia Dei disputantem hautquaquam de lege loqui, sed eam gratiam passim cõmendare, quæ *per Christum data sit*, Pelagius *aliam gratiam*, quæ Christianorum propria sit, statuendam censuit. Admisit igitur gratiam Christi, sed quæ iterum externa tantum est: in vita enim & exemplo Servatoris nostri eam collocavit. Unde Augustinus: *Solent* (Pelagiani) *dicere, inquit, nobis, in ea Christum ad non peccatum præbuisse adiutorium, quia justè ipse vivendo, justèq; docendo reliquit exemplum.* Et alibi: *Gratiam Christi constituit* (Pelagius) *non in virtutis ejus auxilio, sed imitationis exemplo.* Hæc ibi. Quarto cum & hæc rima elabendi Pelagio præclusa esset, extriga gratiarum quadrigam fecit, dum tribus illis (gratiæ naturæ, quam Bernhardus *creantem* vocat, gratiæ legis & gratiæ in exemplo Christi positæ) gratiam, quâ præterita peccata dimittantur, sociavit. Caterum ad futura cavenda eam hautquaquam extensam voluit. Ita Augustinus: *Dicunt, inquit* (Pelagiani) *gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neg. lex est, neg. natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur.* Deniq; ut vim illorum quoq; dictorum Scripturæ effugeret, quæ manifestò de interiori gratia loquuntur, eamq; in adiutorio Dei collocant, utcunq; aliquod auxilium Spiritus S. admisit, additâ tamen duplici quasi restrictione. Una est, quòd in illuminatione intellectus tantum consistat; altera, quòd ad id tantum proficit, ut quæ homines sibi suisq; naturalibus viribus relictis non nisi cum difficultate aliqua præstant, beneficio istius auxilii eò facilius exequantur. Quòd iste Augustini locus pertinet, ubi ipsa Pelagij verba ad hunc modum recitat: *Hic nos imperitissimi hominum putant injuriam divinæ gratiæ facere, quia dicimus, eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem, quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperaverit, & non illis, quibus etiam gratiæ suæ auxilium subministrat, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Qualem gratiam intelligat, statim subjungit: *Quam nos non, ut tu*

lib. I. de gratia Christi cõtr. Pel. & Cal. c. II. c. XXXIX.

de grat. & lib. arb. c. XIX.

l. i. de gr. Christ. cõtr. Pel. & Calest. c. VII.

putas, in lege tantum, sed & in Dei adjutorio esse, confitemur. Addit, quid per adjutorium illud intellectum velit: *Adjuvat nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit: dum nobis, ne presentibus occupemur, futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias: dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ celestis illuminat.* Hæc iterum Augustinus. Qui fusiùs ista omnia & accuratius cognoscere cupit, adeat *Historiam Pelagianam* viri Clarissimi & planè eximij, Gerardi Johannis Vossii lib. III. part. 2. Chemnitij *Locos Communes, de viribus humanis seu libero arbitrio* c. VII. p. 499. Ipsū Augustinum l. *de grat. & lib. arb.* c. XIII. & XIV, item ep. CV. ad Sixtum, quibus in locis omnia ista junctim qs. tradit. Ego unicum hîc addo, ultimam videlicet gratiam illam, quam Pelagius in *illuminatione* intellectus & adjutorio Dei posuit, mihi non videri multum ab ista gratiæ specie abluere, quam aliàs in *externa doctrina revelatione* collocavit.

Summa errorum Pelagii de gratia huc redit, quòd speciale & internum Spiritus S. auxilium nunquam agnovit, quò novæ & supernaturales homini vires concedantur, quarum beneficio *unicè omnia* fiant, quæ ab homine in toto conversionis & salutis negotio præstantur. Vnde Form. Conc. hæresin illam ita describit: *Repudiamus etiam, inquit, crassum illum Pelagianorum errorem, qui adferere non dubitarunt, quòd homo propriis viribus sine gratia Spiritus S. sese ad Deum convertere, Evangelio credere, legi divinæ ex animo parere, & hac ratione remissionem peccatorum ac vitam æternam ipse promereri valeat.* Ita ibi. Catholici doctores huic capitali errori ista cum primis Scripturæ testimonia opposuerunt, quibus Deo simpliciter tribuitur, quòd ipse & velle in nobis operetur, & perficere. Phil. II. 13. quòd ipse det nobis *respicentiam ad agnitionem veritatis* 2. Tim. II. 25. *donet nobis fidem* Tit. III. 5. *cor* nostrum aperiatur Act. XVI. 14. imò *sublatò corde lapideò novum & carneum donet*, idq; eum in finem, *ut in statutis ipsius ambulare possimus* Ezech. XXXVI. 26. quòd trahat nos, ut ad Christum veniamus Joh. VI. 44. Quibus clarissimis testimoniis ut Scriptura soli Deo omnia transcribit, ita nobis ab altera parte omnia detrahit, eò usq; ut disertis verbis affirmet, nos *ex nobis ipsis*, ne ad cogitandum quidem aliquod bonum, *tamquam ex nobis ipsis*, idoneos esse; sed quòd idonei simus, hoc ex Deo habere, 2. Cor. III. 5. Quæ omnia contra Pelagianos evidenter ostendunt, nihil

nos

De lib. arb.
p. 677.

nos in toto salutis negotio ex nobis ipsis, seu per naturales liberi arbitrii vires præstare posse, sed solum Deum per gratiam suam illa omnia in nobis operari, adeoq; nos speciali & intrinsecus operante Spiritu S. gratiâ quammaximè indigere. Quem fidei catholicæ cardinem quoniam doctrina Pelagij convulsit, hinc initio statim impietatis & falsitatis notata, & tandem, cum in pluribus primùm Synodis particularibus, cum primis verò in plenaria Africanâ rejecta fuisset, in concilio Oecumenico Ephesino ut hæretica damnata, & ex ecclesia catholica penitus proscripta fuit. Nostræ Catholicorum Protestantium ecclesiæ ut alias omnes à veteri ecclesia damnatas hæreses, ita hanc quoq; inde ab initio usq; abominatæ sunt, cui rei libri Symbolici, quos ita appellamus, fidem faciunt.

Priusquam hinc penitus discedamus, verbo saltem monendum est, ex ijs, quæ attulimus, sole meridiano clarius esse, quòd exitialis & pestilentissimâ hæresis Pelagij ei nullâ ratione tribui possit, qui expressis verbis docet, *Spiritum S. operari in omnibus conversionem, interveniente auxilio gratiæ*; qui hominem ea, quæ ad conversionem & salutem necessaria sunt, *per gratiam* ejusdem Spiritus S. præstare profitetur. S. Augustinus, qui ad profligandam hæresin Pelagianorum divinitus quasi excitatus fuit, satis apertè innuit, eum Deo omnia accepta ferre, qui *per eum*, h. e. per gratiam ejus omnia fieri cõtendit. *Sancta cogitatio*, inquit, *bonum propositum, pium consilium, omnisq; motus bonæ voluntatis ex Deo est: quia PER IL LVM aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus*. Ita S. Augustinus citante Chénitio in Examine. Multò minus autem de eo vel suspicari jure possumus, quòd hæresi isti faveat, qui *Spiritum S. in conversione homini vires & facultatem donare* dicit, *ita quidem, ut beneficio collatarum virium illarum UNICE OMNIA fiant, quæ ab homine præstantur*: ista enim adfertio errori Pelagianorum è diametro contrariatur, utpote qui *per naturales liberi arbitrii vires* unice omnia fieri existimaverunt. Quî præterea suspicio Pelagianismi de eo suboriri queat, qui non perficere tantum; sed ipsum etiam VELLE viribus nature conceptis verbis derogat, & *virtuti gratiæ* adscribit, idq; disertis iterum verbis eum in finem faciendum esse monet, ut Pelagianorum error evitetur. Cui deniq; de Pelagianismo quicquam in mentem veniat, si legat: *Supponimus cum Augustino voluntatem preparatam à Domino, (quod qui faciunt, ii juxta eundem Augustinum l. 4. advers. epist.*

de lib. arb.
p. 220.

epist. Pelag. c. 6. & l. de gratia Christi c. 47. non sunt Pelagiani) eamq;
liberè se ad Deum convertere adseveramus, (NB.) non eo sensu, ac si libe-
ra hominis voluntas propriis viribus suis id præstet, sed quòd virtute di-
vinicùs collata gratia ita se convertat, ut possit se etiam non convertere.
 Augustinum fuisse acerrimum Pelagianorum hostem, ab eorumq;
 errore de gratia (cum primis post exortum certamen) alienissimum,
 neminem nisi in Theologia hospitem, quin extremè rudem, ignora-
 re arbitror. Hunc sanctissimum Patrem si audimus, tantum abest,
 eum, qui ipsum *velle* gratiæ tribuit, sive (quod eòdem recidit) qui
 ipsam bonam voluntatem à Domino præparari confitetur, tantum,
 inquam, abest, eum Pelagianis vel tantillum favere, ut potius hære-
 sin eorum eo ipso conterat & pedibus quasi conculcet. Verba, ad
 quæ respicio, ita habent: *si (nonnulli) sic intelligerent, quod dictum*
est (apud Esaiam) si volueritis, ut etiam ipsam bonam voluntatem illi
præparare confiterentur, de quo scriptum est: Præparatur voluntas à
Domino: tanquam catholici uterentur hoc testimonio, & non solum hæ-
resin veterem Manichæorum vincerent, sed novam Pelagianorum con-
tererent. Hæc Augustinus. Subijcio verba Cornelii Martini, summi
 quondam in Germania viri, saniorisq; Philosophiæ in Academia
 JULIA vindicis & restauratoris acerrimi, qui, quàm periculosum sit,
 alteri præter mentem & voluntatem sententias tribuere, præclare a-
 licubi ita exponit: *Neq; enim sceleratius quicquam in eum, quicum*
disputas, committere potes, quàm si opinionem vel sententiam ei assignas,
quam is neget esse suam: nam & illius fama & anima tua periculum cre-
as: præsertim si negotium religionis agatur, in quo sycophantiam exer-
cere non licet.

l. q. adv.

ep. Pel. c. 6.

in anal.

Log. p. 261.

QUÆSTIO II

**An specialis Dei gratia & ad incho-
 andam conversionem, & ad perseveran-
 tiam in bono efflagitetur?**

Cùm magnus Hipponensium Episcopus contra hostes gratiæ
 acriter decertaret, & quòd in spiritualibus omnia, minima maxima,
 viribus à Spiritu S. concessis tribuenda sint, ex Scripturis potenter de-
 mon-

monstraret, exorti sunt inter Gallicanæ ecclesiæ doctores, qui negotium conversionis gratiæ ita vendicandum dixerunt, ut partim quoad initium conversionis, partim etiam quoad perseverantiã bono aliquẽ nativis liberi arbitrij viribꝫ locũ relinqũdũ putarent. Hi à loco, ubi quã maximẽ degebant, dicti sunt *Masilienses*, *Semi-Pelagiani* a. propter errorem, quem diximus. S. Augustinus eum duobus libris ex professo confutavit, uno *de predestinatione sanctorũ*, altero *de bono perseverantia*. Equidem, ut hoc obiter moneam, de nonnullorum Semi-Pelagianorum, cum primis a. *Cassiani*, qui princeps eorum habetur, sententiã res est obscura & intricata. Videatur ea de re paulò antè merito suo laudatus Clarissimus Vossius, *l. IV. Hist. Pel. part. 1.* ubi acutè ea de re disputat, quomodo verba Cassiani sensum catholicum & orthodoxum haud difficulter admittant.

Coeterum quicquid de mente hujus vel illius sit, dogma, quod veteres in synodo Arausicana secunda, & aliàs etiam, in Massiliensibus improbarunt, nos quoq; repudiamus, adeoq; ipsum etiam fidei initium, sive quemcunque credulitatis affectum, omneque desiderium, quod in ordine ad vitam æternam bonum est, speciali & intrinsecus operanti gratiæ Spiritus S. acceptum ferimus; sententiã nostræ pondus cum veteri ecclesia in frequentibꝫ Scripturæ dictis constituentes. Joh. XV. 5. *Sine me nihil potestis* (adeoque nec initium conversionis) *facere*. Rom. XI. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* I. Cor. IV. 7. *Quid habes, quod non accepisti?* Quod si nemo prior unquam Deo aliquid dedit, sed ab eo omnia accepimus, ipsum quoq; conversionis initium à Deo erit. Porro jure meritoque effectum illud Servatoris hic urgetur, quod apud Johannem c. VI. 44. legitur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*. S. Augustinus illud Prov. VIII. 35. passim in ore & calamo habet: *preparatur voluntas à Domino*. Ita videlicet LXX. interpretes habet. Aliter paulò est in Ebræo fonte, ut & veteri interprete Latino. Xantes Pagninus juxta Ebraicam veritatem ita vertit: *Et hauriet voluntatem à Domino*. Nequaquã etiã illud S. Pauli sicco pede hic prætereundũ est 2. Cor. III. 5. *Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis; sed quod idonei sumus id ex Deo est*. Quod si ipsas etiam bonas & salutares cogitationes Deus inspirat, omnium in universum bonorum motuum autor erit & largitor. Omnium, dico, in universum, adeoq; perseverantiæ etiam in bono. Quò veteres illud regij

Pf. CXX VII.1. regij Pfaltis accommodarunt: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Verbis præcedentibus dixerat: *Nisi Dominus adificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui adificant eam;* quod iidem antiqui ad initium salutis retulerunt. Idem videlicet, *qui bonum in nobis opus inchoavit, perficit illud usq; ad diē Jesu Christi.* Et initium igitur, & progressus, & finis conversionis gratiæ divinæ unice adscribendus est, quinimò in tota vita, quoties homo aliquid boni in ordine ad vitam æternam aut cogitat, aut vult, aut perficit, toties per specialem Dei gratiam unice omnia præstat, juxta illimitatum istud S. Jacobi pronunciatum: *Omne donum bonum, & omne donum perfectum superne est, descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut conversionis obumbratio,* (h. e. qui hautquam mox ad bonum, mox ad malum, sed semper ad bonum nos incitat.) *Is quia voluit, progeniuit nos sermone veritatis* (per novam nativitatem novas vires contulit) *ut essemus primitia quedam suarum creaturarum.* Autor librorum de vocatione gentium hac de re ita loquitur: *Sive igitur initia, sive profectus fidelium, sive usq; in finem perseverantium cogitemus genus, nulla species cujusdem virtutis occurrat, que vel sine dono divinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatiæ habeatur.* Quomodo illud: *vel sine consensu nostræ voluntatiæ,* orthodoxè interpretandum, & non contra mentem & voluntatem auctoris illius in partes Pelagianas vel Synergisticas rapiendum sit, infra monstrabimus. Claudat S. Prosper, qui Carmine *περ' ἀχαιῶν*, h. e. de Ingratis (ita Pelagianos & Semi-pelag. vocat, tamquam erga divinam gratiam ingratos) de gratia optimè ita canit:

*dux est venientibus ad se,
 Perq; ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.*

QUÆSTIO III.

Num vires liberi arbitrij in supernaturalib⁹ per lapsum protoplastorum extinctæ penitus & amissæ; an verò debilitatæ & attenuatæ tantùm sint?

Homi-

Hominem per lapsum omnium virium in supernaturalibus ja-
 cturam fecisse, ex Scriptura, si quicquam aliud, certissimum est. Di-
 cta huc facientia à doctoribus nostris, ut notum est, dudum collecta
 & in certas classes distributa sunt. Nos labore ea adscribendi nunc
 superfedemus. Illud tantum notamus, Spiritum S. in Scriptura si-
 militudine hominis dormientis nonnunquam uti (Ephes. V. 14. Rom.
 X III. 11.) ubi prima fronte videri possit, Scripturam velle, vires ho-
 minis non extinctas prorsus, sed ligatas tantum esse. Ceterum
 eundem, quem illa *dormientem* appellat, in *peccatis mortuum* dicit. *Ephes. II. 1.*
 Paulus alicubi utrumq; conjungit, cum ait: *Surge qui dormis & ex-*
surge à mortuis. Paulum imitatus utrumq; & ego alibi conjunxi,
Eph. V. 14.
 dum quem *somnolentum* vocaveram, in *peccatis mortuum* dixi. Non
 majori itaq; jure de me, quàm de Apostolo Paulo scribi potest, quòd
 actioni Dei in conversione *non plus* tribuam, quàm illi, qui somno-
 lentum excitat, & ut fuga sibi ipsi salutem quærat, adhortatur. Ne
 nunc de eò quicquam dicam, similitudines justò latius non esse ex-
 tendendas, semperq; mentem & intentionem scribentis diligenter
 attendendam esse, ne præter necessitatem certamina moveantur, &
 turbæ in ecclesia excitentur. Chemnitius noster in hanc sententi-
 am præclare alicubi ita loquitur: *Ex nostris quoq;* inquit, *qui tamen* LL. Côm.
idem sentiunt, sæpè non eodem modo (de lib. arbitrio) *videntur loqui,* part. I. p.
dum unus Pelagianismum, alter Enthusiasmum sibi oppugnandum pro- 488.
ponit. Et inde finguntur ἀνελόγια, & moventur certamina non neces-
saria. Hæc ille. Ut redeam, unde digressus sum, Scriptura hominem
 irregentum non dormire tantum; sed in peccatis mortuum esse te-
 statur. Nō igitur attenuatæ tantum sunt vires hominis; sed extinctæ
 & penitus amissæ. Unde *gratia Dei & efficacia Spiritus simpliciter*
efficit & operatur in iis, qui renascuntur, novam aliquam δύναμιν, vim,
facultatem, aut potentiam inchoandi & præstandi motus & actiones
spirituales, quam ante conversionem aut renovationem ex nature viri-
bis non habuerunt. Utitur his verbis Chemnitius, ubi contrarium Exam.
 Pontificiis tribuit, eorumq; sententiam de viribus hominis non de- Cōc. Trid.
 perditis, sed ligatis tantum confutat. Idem in Colloquio Hertzber- part. I. de
 genfi eleganti similitudine hanc rem illustrat: * *Si Præceptor, inquit, lib. arb.*
in puero præclarum ingenium deprehendat, illud disciplinâ suâ excitat, p. 214.
movet & accedit. Jam questio est, an Spiritus S. in homine non rena- * p. 15.
 to, ante conversionem inveniatur tales vires spirituales, quas tantum ex-
 citet,

sitet, moveat & accendat in conversione? Rectissime id negatur. Quò
pertinent illa verborum pondera, quando Scriptura dicit, Deum
creare (creatio strictè dicta nihil agnoscit præexistens) *cor novum*, &
dare *spiritum novum*, hominemq; propterea *novam* profus *creatu-*
ram fieri. Apostolus paucis verbis multa, imò omnia complectitur,
quando scribit: *Deus est, qui operatur in vobis & VELLE & PER-*
Phil. II. 12. FIGERE.

QUÆSTIO IV.

An homo tum in conversione, tum
post conversionem ex propriis & nativis
liberi arbitrii viribus quicquam opere-
tur, aut gratiæ divinæ cooperetur, ? sive
quod eodem recidit, An homo ex pro-
priis & naturalib; viribus sese ad Deum
convertere, aut quicquam, quò ad salu-
tem promoveatur, præstare possit?

Responsio ad præsentem quæstionem facillima est, & ex ea, quæ
ad præcedentem data fuit, responsione dependet. Quod si enim ho-
mo ob deperditas per lapsum in supernaturalibus vires opus habet,
ut *simpliciter novâ dâque, vi & facultate à Deo instruat;* quomo-
do ex naturalibus liberi arbitrii viribus tum in conversione, tū post
conversionem quicquã operari aut cooperari, quomodo ex iisdem
sese ad Deum convertere, aut quicquam, quò ad salutem promovea-
tur, præstare poterit? Rectè igitur se habet illa F. C. *pia*, ut vocatur,
de lib. arb. p. 656. *declaratio & generalis confessio*, quam submitto: *Creديمus, quod ho-*
minis non renati intellectus, cor & voluntas, in rebus spiritualibus &
divinis ex propriis naturalibus viribus prorsus nihil intelligere, credere
amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere, agere, operari, aut coopera-
ri possit, sed homo ad bonum prorsus corruptus & mortuus sit, ita ut in
hominis natura post lapsum, ante regenerationem ne scintillula quidem
spiri-

Spiritualium virium reliqua manserit, aut restet, quibus ille ex se ad gratiam Dei preparare se, aut oblatam gratiam apprehendere, aut ejus gratia (ex se & per se) capax esse possit, aut se ad gratiam applicare aut accommodare, aut viribus suis propriis aliquid ad conversionem suam vel ex toto, vel ex dimidia, vel minima parte conferre, agere, operari, aut cooperari (ex seipso, tanquam ex semetipso) possit. Et iterum: An- p. 662.
tequam homo per Spiritum S. illuminatur, convertitur, regeneratur & trahitur, ex sese & propriis naturalibus suis viribus in rebus spiritualibus, & ad conversionem aut regenerationem suam nihil inchoare, operari aut cooperari potest: nec plus, quam lapis, truncus, aut limus. Et rursus: malè docetur — humanam voluntatem (qualis natura est) in conversione aliquo modo cooperari. Hæc F. C. in qua plura in eadem sententiam reperiuntur. Notandum a. quoties operatio & cooperatio voluntati humanæ in conversione hic denegatur, toties dicitur illam addi: ex sese & naturalibus suis viribus, item, qualis natura est. Id quod idè fit, quoniam aliàs certum est, voluntatem hominis (per gratiam sc.) operari aliquid & cooperari, ut nos ex eadem F. C. paulò pòst docebimus. p. 663.

Ex qua illud nunc porrò observetur, errorem Synergistarum hautquaquam in eo consistere, quòd quomodocunque cooperationem hominis seu voluntatis humanæ adstruxerunt, sed in eo primò, quòd hominem in spiritualibus non prorsus emortuum esse arbitrati sunt. Deinde in eo, quòd liberum hominis arbitrium (NB) propriis & naturalibus viribus suis Deo seu gratiæ divinæ cooperari posse, docuerunt. Audiamus Librum Concordiæ, qui Synergistarum dogma his verbis describit: *Fingunt, inquit, hominem in rebus* p. 677.
spiritualibus non prorsus ad bonum esse emortuum; sed tantum graviter vulneratum & semimortuum esse. Et quamvis liberam arbitrium infirmius sit, quam ut initium facere & seipsum propriis viribus ad Deum convertere, & legi Dei toto corde obedire possit: tamen se Spiritus S. initium faciat, & nos per evangelium vocet, gratiam suam, remissionem peccatorum, & aeternam salutem nobis offerat, tunc liberum arbitrium propriis suis naturalibus viribus Deo occurrere & aliquo modo (aliquid saltem, etsi parum & languide) ad conversionem suam conferre, eam adjuvare, cooperari, sese ad gratiam preparare & applicare, eam apprehendere, amplecti, evangelio credere, & quidem in continuatione & conservatione hujus operis, propriis suis viribus, unà cum Spiritu S.

tu S. cooperari posse. Hæc iterum F. C. Quicunque igitur cum Apostolo hominem in peccatis planè mortuum esse adseverat, & cooperationem ejus haudquaquam naturalibus liberi arbitrii viribus, sed gratiæ Spiritus S. tribuit, iste cum erronea Synergistarum doctrina nihil quicquam commune habet. Quòd si quis cum ratione ita insanat, ut propter nudam vocem *cooperandi* quenquam Synergismi accuset, is unâ operâ S. Augustinum, præclarissimum gratiæ defensorem, omnesq; propemodum veteres ac recentiores orthodoxos, quin ipsum quoq; Apostolum Paulum in numerum Synergistarum referet: inde n. doctores modum istum loquendi derivant, ut jamjã videbimus. Ex iis, quæ attulimus, manifestum est, Synergismum sufficientissimè evitari, dummodo cooperatio hominis neutiquam & nulla ratione naturalibus liberi arbitrii viribus attribuat. Unde Gerhardus, ubi contra Bellarminum de cooperatione disputat, generaliter alicubi ita loquitur: *Hoc est, quod credimus, quòd modis omnibus approbare contendimus, (NB) voluntatem in conversione non agere suis viribus ex prima natiuitate adhuc reliquis, sed novarum virium dono indigere; HOC ERGO SENSU & respectu negamus voluntatem gratiæ cooperari, quam post factam renovationem (post acceptas vires supernaturales) οὐδεὶς ἔχει, neutiquam inficiamur.* Ista Gerhardus.

LL. Theol.
Tom. II.
p. 998 &
999.

QUÆSTIO V.

An, & quo sensu homo tum in conversione, tum post conversionem gratiæ divinæ rectè dicatur cooperari?

Hominem gratiæ divinæ cooperari, dogma catholicum est & orthodoxum. Modus quoq; loquendi non $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{\iota}\kappa\eta\ \kappa\alpha\iota\ \pi\alpha\upsilon\lambda\iota\kappa\eta$ inventus; sed tot jam seculis à catholicis doctoribus adhibitus fuit. S. Augustinus eum usurpavit, dum inter gratiam operantem & cooperantem distinxit, de qua distinctione ita Chemnitius: *Omninò in ecclesia retinenda est vera & utilis Augustini distinctio, inter gratiam operantem & cooperantem.* Idem Chemnitius, ut & F. C. modum istum loquendi ex ipsa Scriptura arcessunt, dum illud S. Pauli citant, $\sigma\upsilon\upsilon\ \epsilon\sigma\tau\acute{\iota}\ \sigma\upsilon\upsilon$

I. c. p. 219.

II. Cor.
VI. 1.

ἐγγεῖντες ὁμιλοῦμεν, Nos qui sumus administri & cooperarij Dei,
 monemus vos. Sed de locutione securi rem ipsam videamus. Qua-
 ritur, An homo tum in conversione, tum post conversionem gratia divina
 cooperetur? De posteriore nemo, quod sciam, dubitat. Sed & pri-
 us apud intelligentes controversia caret. Videamus quid F. C. ea p. 674.
 de re sentiat: *Quamprimum Spiritus S. (inquit) per verbum & sacra-
 menta opus suum regenerationis & renovationis in nobis inchoavit: quod
 reverà tunc per virtutem Spiritus S. cooperari possumus ac debeamus.*
 His verbis expressè adferitur, quòd homo statim post factum à Spi-
 ritu S. regenerationis & renovationis initium, & possit, & debeat
 cooperari. Dicis, Formulam Conc. locis in præcedenti quæstione
 adductis toties negasse, hominem in regeneratione aut conversione
 (quæ duo in F. C. eòdem recidunt, ut ex locis adductis manifestum
 est,) cooperari. Respondeo. Non absolute & simpliciter id nega-
 vit, sed additâ, ut notavimus, hac restrictione; *ex sese & propriis suis
 naturalibus viribus.* Hic autem hominem cooperari posse & de-
 bere affirmat, per virtutem Spiritus S. Quo fine etiâ sequentia
 verba adduntur: *Hoc verò ipsum, quod (statim ac conversio à Spi-
 ritu S. inchoata est) cooperamur, non ex nostris carnalibus & naturalibus
 viribus est; sed ex novis illis viribus & donis, quæ Spiritus S. in conver-
 sione in nobis inchoavit.* Nulla igitur hîc est ἀνθρώπινα, sed omnia
 amicè conspirant. Audiamus porrò Chemnitium, omnium Theo-
 logorum nostrorum eruditissimum & accuratissimum, cujus proin-
 de sententia in hac difficili quæstione imprimis attendenda est. Ita
 a. ille. *Acceptis primitiis, inquit, donorum spiritualium voluntatem
 renatam (viribus supernaturalibus instructam) esse ὀνείργων Dei, illis
 facultatibus, quas à Spiritu regenerationis accepit, nullum est dubium.*
 Ista Chemnitius, quæ verbis ex F. C. productis prorsus gemina sunt.
 Idem alibi: *Quando gratia præveniens, inquit, i. e. prima initia fidei &
 conversionis homini dantur, statim incipit lucta carnis & spiritus, &
 manifestum est, illam luctam non fieri absq; motu nostræ voluntatis.* —
*Quæ ergo de gratia præveniente, præparante & operante traduntur,
 habent hunc sensum, quòd non nostræ partes priores sint in conversione;
 sed quòd Deus per verbum & afflatum divinum nos præveniat, movens
 & impellens voluntatem. Post hunc a. motum voluntatis divinitus fa-
 ctum, voluntas humana non habet se purè passivè, sed mota & adjuncta à
 Spiritu S. non repugnat; sed assentitur, (eo ipso dum assentitur, per fi-
 dem*

Exã. part.
 1. p. 227.

LL. Côm.
 de vir.
 hum. c. 6.
 p. 490.

dem se ad Deum convertit) & sit *συνεργος Dei*. Hactenus Chemnitius, cujus tota disputatio in eo ibiversatur, quomodo voluntas in conversione se habeat, ut ex inscriptione capituli istius patet. Præterea illud etiam accurate hic observandum est, eundem Chemnitium statim post prima initia fidei & conversionis hic ponere gratiam cooperantem, quod fufius adhuc paulò post explicabimus.

Nunc id tantum notamus, orthodoxam esse adfersionem, hominem factò à Spiritu S. conversionis initio, in ipsa statim conversione cooperari. Quæritur a. quid per cooperari & *συνεργειν* h. l. intelligatur, & quomodo illud ita explicari possit, ut non in Pelagianorum aut Synergistarum, qui vocantur, castra discedatur. Difficile est, fateor, prudenter, caute & recto pede (verbis Chemnitij utor) hic incedere inter Pelagianos & Enthusiastas, atq; ita vitare Scyllam, ne in Charybdim incidas. Unde multi rem rectè non adsequuntur, pauci dextrè expediunt. Ego vestigiis Formulæ Conc. & Chemnitij presè insistam, & ut res eò clarior fiat, negativè primum, deinde positivè, quid cooperari sit, exponam. Primò igitur voluntas hominis, vel homo ipse in conversione cooperari dicitur, non eo sensu, ac si Spiritus S. vires quasdam suppeditet, quibus homo de suo itidem aliquas addat, ut ita opus conversionis à supernaturalibus gratiâ, & naturalibus liberi arbitrij viribus junctim prodeat. Huc illa verba F. C. pertinent: *Si quis verò Pauli dictum* (ne tanquam Dei cooperari frustra Dei gratiam accipiamus) *in ea sententia accipere vellet, quasi homo, (à Deo) conversus* (gratia præveniente, præparante & operante motus & impulsus) *unà cum Spiritu S. eo modo cooperetur, quemadmodum duo equi simul unà currum trahunt: equidem hoc citra veritatis divine jacturam concedi hautquaquam possit.* Et ista Chemnitij: *Omninò n. Augustini distinctio inter gratiam operantem & cooperantem disertè explicanda est. An scilicet liberum arbitrium naturalibus suis viribus cooperetur Deo: ita ut cum Deus operatur in nobis velle & assentiri, (vult & assentitur homo in ipsa sui conversione ad Deum) naturalis quadam vis seu efficacia veteris hominis cooperetur ad producendum illud velle, seu assensum illum.* Hæc ille. Deinde cooperatio hominis in conversione non ita intelligitur, ac si Spiritus S. gratiâ suâ initium convertendi faciat; homo a. beneficio naturalium virium suarum ipsum conversionis opus perficiat & consummet, si-
ve, quando gratia movet & excitat voluntatem, quòd tum ex naturalibus

p. 674.

Exam. de
lib. arb. p.
226.

bus viribus voluntatis assensus emergat. Quæ verba iterum Chemnitij sunt, ab eo iis, quæ paulò antè produximus, immediate sub-
iuncta. Nec tertio ad eum modum homo in conversione coope-
ratur, ut, postquam Spiritus S. in initio conversionis solus omnia
præstitit, ipse in progressu naturales vires suas cum viribus gratiæ
conjungat F.C. hunc tertium cooperandi modum (qui cum primo
quodammodo coincidit) Synergistis tribuit, & sequentibus verbis p. 678
exponit. *Si Spiritus S. initium faciat, & nos per evangelium vocet, gra-
tiam suam, remissionem peccatorum & æternam salutem nobis offerat,
tunc liberum arbitrium — propriis suis viribus unà cum Spiritu S. coo-
perari posse.* Hactenus F.C. Nec quarto deniq; homo per excitas
naturales liberi arbitrii vires cooperatur: per lapsum n. omnibus
viribus spoliatus fuit, nullas penitus retinuit, quæ post lapsum ligatæ
tantum & sopitæ sint, adeoq; per gratiam excitari queant; ut paulò
antè ex Scripturis demonstratum dedimus.

Isti sunt falsi & heterodoxi cooperationis sésus; nunc quinam
verus, & orthodoxis probatus cooperandi modus sit, quæritur. In
F.C. & apud Chemnitium expressa verba, quibus id positivè & ex in-
stituto exponât, vix invenio. Incidi a. antehac in locum quendam S.
Augustini, ubi ad istum modum (verba ipsa, quia locus memoriâ ex-
cidit, non succurrunt) res exprimitur. *Cooperari est per specialem Dei
gratiam aliquid operari.* Hinc alibi ita scripsi: *Pendebunt omnia si-
mul à cooperatione hominis, h. e. ab homine in virtute gratiæ liberè ope-
rante, liberè credente, liberè perseverante: nam cooperari gratiæ est o-
perari per gratiam, ut alicubi ipse S. Augustinus explicat.* Hæc ibi. Ex-
tra controversiam a. illa Augustini explicatio ut plana est & perspi-
cua, ita vera quoq; catholica & orthodoxa. Id quod ita pater. Ut
voluntas hominis post conversionem in operibus Spiritus S. coope-
ratur, (non, dum naturalibus suis viribus ad opera pietatis cõcurrit,
sed) dum per gratiam Spiritus S. opera illa perficit. Ad eundem
modum voluntas hominis, postquam Spiritus S. opus regeneratio-
nis inchoavit, & viribus sufficientibus eam instruxit, in ipsa conver-
sione fit *συνεργος* Dei, & cooperatur, h. e. per specialem gratiam &
vires à Deo concessas operatur, adsentitur nim. verbo Dei, proponit
sibi meliorem vitam, unò verbò, ea omnia in virtute gratiæ præstat,
quæ ad conversionem necessaria sunt. Non major igitur difficul-
tas est in explicanda cooperatione hominis *in conversione*, quàm ea,
quæ

Disp. Th.
part. 2.
disp. 3. sect.
1. th. 34.

quæ post conversionem fit. Eadem n. utriusq; ratio est, & in eo tantum discrimen aliquod deprehenditur, quòd homo post conversionem majori, justificante videlicet & sanctificante; in conversione a. præveniente tantum, operante & præparante gratiâ instructus est. Præclare hæc omnia Dn. D. Horneius, meus in Academia JULIA per aliquot annos hospes & Præceptor singulariter honorandus, alibi explanat ubi in locum Chemnitij supra adductum ita commentatur: *Σύνεργος* ergò *Dei voluntas nostra fit, seu divina gratie cooperatur, non tantum cum homo jam conversus, renatus & justificatus in fide & charitate crescit, & opera pietatis per gratiam justificantem & inhabitantem facit; sed etiam cum per auxilia gratie prævenientis, præparantis & adjuvantis ad Deum convertitur & primum justificatur: sicut n. homo renatus & justificatus cooperari gratie Spiritus S. jam inhabitantis dicitur, dum dono seu talento gratie justificantis & sanctificantis semel accepto sedulo negotiatur: ita idem etiam auxilijs gratie Spiritus S. adhuc corda nostra nondum inhabitantis, sed ut ea intret atq; inhabitet, pulsantis cooperatur, dum auxilijs illis preventus, adjutus & præparatus ad Deum convertitur, ut justificatus ac renatus templum Dei & Spiritus ejus fiat.* Hæc ille. Hinc ipsa F. C. ubi docet, quod cooperari possumus ac debeamus, rō cooperari paulo post per *benè operari* exponit, imò disertis verbis monet, illud: *Dei cooperarii sumus; sic & non aliter intelligendum esse.* Integrum locum paulo post ad scribam. Nunc ex iis, quæ hactenus disputata sunt, argumentum duco, quò unicuique clarè ob oculos poni potest, cooperationem voluntatis in conversione, de qua diximus, necessariò ab omnibus rectè sentientibus admittendam esse, nec, nisi sibi metipsis contravenire velint, in dubium ab eis vocari posse. Largiuntur, & vi veritatis largiri coguntur omnes, hominem in conversione per vires à Deo concessas, (per quas unicè omnia fiunt, ut semper supponimus) agere seu operari aliquid, credere videlicet & meliorem vitam sibi proponere. Quod si jam cooperari in conversione nihil aliud est, quàm benè operari, sive, per gratiam actiones ad conversionem pertinentes exercere, quis inficias ire poterit, hominem non saltem post conversionem, sed in ipsa etiam conversione cooperari? Si inquam, *gratie divina cooperari et bene per eam operari* idem quid sūt, quomodo qui posterius homini in conversione tribuit, prius in eadem ei denegare poterit? Ista igitur ita se habent.

Præte-

Præterea unum adhuc observatu hîc dignissimum est, ea scilicet, quæ hactenus proposita sunt, non esse nugæ aut tricas scholasticas; sed doctrinam continere, quæ praxin Christianam, si rectè & orthodoxè ista tradantur, juvat, sin minus, impedit atq; sufflammat. Hortatur S. Paulus, ut id operam demus, *ne in vanum gratiam Dei accipiamus*. In vanum autem gratia Dei accipitur, quando homo oblatò gratiæ talentò sive viribus supernaturalibus non utitur, perfractus, Spiritum S. ad eum modum omnia in conversione solum agere, ut sibi nihil omninò agendum sit. Quà falsà persuasione ne demententur, erudiendi sunt auditores & edocendi, quòd solus quidam Spiritus S. per verbum dura hominum corda emolliat, quòd ille solus det cor novum & spiritum novum h. e. vires ad induendum novum animum necessarias & sufficientes; propterea autem homini non otiaudū, sed si gratiam Dei in vanum accipere nolit, dono sive talentò gratiæ negotiandum & id præstandum esse, ut per vires divinitus concessas novum sibi spiritum faciat (juxta illud Ezech. 18. 31. *facite vobis cor novum & spiritum novum*) h. e. animum suum mutet, sibiq; meliorem vitam proponat. Hinc S. Augustinus: *Deus agit in nobis*, inquit, *ut velimus & agamus* (præbendo vires volendi & agendi) *nec ociosa in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda dedit, ut & nos cooperatores simus gratiæ Dei*. Quam ut & alias Augustini sententias cum adduxisset Chemnitius, ista subjicit: *Hæc Augustini sententias ideo adscripsi: ut ostendam, nos hanc de libero arbitrio doctrinam, non ita tradere, ut alatur & confirmetur in hominibus desidia, securitas & contumacia. Inculcamus enim illud: Videte, ne in vanum gratiam acceperitis*. Scriptor Hypognost. I. III. (quem locum Chemnitius itidem adducit) hac de re ita loquitur: *Nemo sic de gratia confidat, tanquam Deus liberi arbitrij ejus, quod per mortem filij sui reparavit, opera non requirat: imò vigilet, querat, petat, pulset*. Hinc etiam rectissimè F. C. docet, quòd *per virtutem Spiritus S. cooperari non tantum possumus, sed DEBEAMUS*. Adde, quod alio loco ex eadem F. C. huc pertinet: *Non ignoramus, & Enthusiastas & Epicureos piâ hac de impotentia & malitia naturalis liberi arbitrij doctrinâ (qua conversio & regeneratio nostra soli Deo, nequaquam autem nostris viribus tribuitur) impie, turpiter & malignè abuti. Et multi impiis illorum sermonibus offensi atq; depravati, dissoluti & feri sunt, atq; omnia peccatis exercitia, orationem, sacram lectionem, piâ meditationes remissè tractant, aut prorsus negligunt*. Hæc F. C.

C

QUÆ

2. Cor. VII.

1.

Exam. I. c.

p. 219.

p. 221.

p. 674.

p. 668.

QUÆSTIO VI.

Quid de distinctis gradibus gratiæ,
juxta quos illa nunc præveniens dicitur,
nunc operans, nunc cooperans, nunc
subsequens &c. sentiendum?

Cum S. Augustinus occasione certaminis Pelagiani doctrinæ de gratiâ profundius immergeretur, gradus gratiæ distinguere, distinctisq; nominibus insignire cœpit. Alium gradum appellavit gratiâ *prævenientem*, alium *operantem*, alium *cooperantem*, & quæ plures ejusmodi divisiones in scriptis ejus reperiuntur, quas ex illo tempore scholæ communiter retinuerunt, & etiamnum ad doctrinam hanc explanandam usurpant. Ut autem ista omnia curiositatem quandam humani ingenij redolere nec non *ad modum operationis divinæ determinandum* (qui tamen ut in aliis mysteriis omnibus, ita hic quoq; abstrusissimus est, & in hac imbecillitate naturæ investigari nec potest, nec debet) inclinare videri possint, negandum tamen non est, distinctiones illas, si rectè explicentur, in illustranda hac doctrina insignem usum habere. Observari etiam meretur, quòd S. Augustinus optimò consiliò ad eum modum ista tradiderit, ad infidias videlicet Pelagianorum, versutissimorum hæreticorum, detegendas, tergiversationes eorum in lucem protrahendas, veramque Scripturæ sententiam clarissimè aliis ob oculos ponendam, & totum deniq; justificationis & salutis negotium gratiæ divinæ in solidum vendicandum. Cæterùm doctores in explicatione graduum istorum vix consentiunt. Ipse Chemnitius, qui in *LL. Comm.* integrum caput VI. iis explanandis impendit, in *Examine Conc. Trid.* nonnunquam paulò aliter eosdem explicare & accommodare videtur. Nos eam sententiam in medium proferemus, quæ nobis ad veritatem & mentem Augustini proximè accedere visa fuerit.

Gratiæ præveniens (ut hoc in antecessum verbo saltem moneam) cum *excitante* propemodum coincidit: prævenit n. non Deus, dum torpentem voluntatem secretâ virtute excitat, & animo nostro salutiferas cogitationes inspirat. Quò pulcherrimus Richardi locus pertinet, quem Chemnitius adducit & laudat: *Liberi arbitrii co-*

NA 116

*natus casus sunt, inquit ille, sed gratia non adjuvatur, & nulli, si non excitentur. Excitat a. Deus, cum seminat bonum cogitatum: nam immittendo bonam cogitationem nos prevenit. Hæc ille. Quibus ita præmissis, tres primos gradus, gratiam nimirum prævenientem, operantem & præparantem, ad initium conversionis (loquor de conversione hominis ad Deum) referendos esse dico. Deus n. gratiâ suâ nos, ut jamjam dictum fuit, prevenit, dum talia non cogitantibus bonas immittit cogitationes, bonasq; desideria. Quæ si homo non excutit, operatur in eo vires, & cor lapideum aufert, ac carneum donat, eoisq; facultates hominis præparat, dum novis eas viribus instruit, & ad exercendas actiones supernaturales idoneas reddit. Et hæcenus solus Deus operatur in nobis sine nobis. Quando a. per illas noviter concessas vires consentimus vocationi Dei, & toto animo nos ad eum convertimus (h. e. relicta infidelitate credimus, & deposita impietate novum animum induimus), tum non amplius solus Deus in nobis sine nobis operatur, sed nos ei cooperamur, dum per gratiam ejus operamur, & per vires supernaturales actus conversionis producimus. Gratia igitur cooperans in ipsa statim hominis ad Deum conversione ponenda est. Quam etiam fuisse S. Augustini mentem, aliquot loca prædent, ex quibus unum atq; alterum adscribo. Lib. de gr. & lib. arb. c. XVII. inquit: *Quis estis parvam dare cooperat caritatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam ipse ut velimus, (possimus velle) operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Phil. 1. Ut ergo velimus, (possimus velle) sine nobis operatur: cum a. (actu ipso) volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Hæc ibi. Alibi dicit, Christum rē credere per gratiâ suam in nobis operari, non tamen sine nobis, adeoq; nos in actu fidei cooperari. Verba ita sonant: *Credenti in eum, qui justificat impium, deputatur ejus fides ad justitiam. In hoc opere facimus opera Christi, quia & ipsum credere in Christum opus est Christi. Et operatur in nobis, non utiq; sine nobis. Item in eodem loco: Operante in se Christo, cooperatur (homo) salutem eternam ac justificationem suam.* Et iterum de justificatione verba faciens, inquit: *Ubi quidem operamur & nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prevenit nos.* Hæc Augustinus. Planè $\mu\psi\phi\theta$, hac in re etiam habem⁹*

Tract. 72.
 in Job.

de nat. &
 Grat. c. 32.

LL. Cōm.
l. c. c. VI.
p. 490.

Chemnitium nostrum, utpote, qui statim post prima initia fidei & conversionis, quin disertis verbis post gratiam prævenientem, operantem & præparantem, quos gradus eodem modo, quò nos, ad initium conversionis reducit, gratiam cooperantem collocat. Verba ita habent: *Qua ergò de gratia præveniente, præparante & operante traduntur; habent hunc sensum, quòd non nostræ partes priores sint in conversione, sed quòd Deus per verbum & afflatum divinum nos præveniatur, movens & impellens voluntatem.* (Deus igitur gratiâ præv. oper. & præparante initium facit.) *Post hunc a. motum voluntatis divinitus factum voluntas humana non habet se purè passivè, sed mota & adjuncta à Spiritu S. non repugnat, sed assentitur, & fit oiveꝝ yos Dei, h. e. gratiâ operante & præparante adjuncta & excitata cooperatur.* *Ista Chemnitius. Ejus Judicium de controversiis quibusdã Gerhardus citat, quod hæctenus mihi videre non contigit. Adscribo locum à Gerardo ex eo productum, qui huc pertinet: Cùm prima initia conversionis per Spiritum S. nobis donantur, statim oritur lucta carnis & spiritus, quam manifestum est fieri non sine motu voluntatis nostræ, & hæc est oiveꝝ yia voluntatis non veteris, sed qua capit renovari. Ex initia illa in magna infirmitate crescunt & augentur non sine motu nostræ voluntatis. Illa autem oiveꝝ yia semper pendet à Dei gratia & c.* Hæc Gerhardus ex Chemnitio. Ex ipso Gerardo illud hîc observari meretur, quod *reclisimè* à Bellarmino dici existimat, *liberum arbitrium per gratiam prævenientem excitatum & præparatum posse per vires, quas à Deo accipit, cooperari ad suam ipsius conversionem; dummodo insidia in voce excitandi latentes detegantur, h. e. modò non pristinæ & naturales vires excitari, sed novæ prorsus divinitus homini conferri dicantur.*

l. c. p. 907.

Eadem deniq; Formulæ Concordiæ, si paulò exactius omnia ponderentur, sententia est. *Primò* enim disertis verbis docet, hominem statim post factum à Spiritu S. regenerationis initium debere cooperari, ut suprà vidimus. *Deinde* ideo hominem cooperari vult, ne gratiam Dei in vanum accipiat. Vbi probè observetur, non tantum gratiam sanctificantem seu inhabitantem, per quam homo post conversionem opera pietatis facit, sed gratiam etiam operantem & præparantem, cujus virtute se primùm ad Deum convertit, in vanum accipi posse, & utinam non totà die in vanum acciperetur! Non tantum igitur post acceptam gratiam sanctificationis, verum etiam post acceptam gratiam conversionis homo & potest & debet coopera-

perari. Debet, inquam, ut rectissimè loquitur F. C., cooperari: nisi enim virtute gratiæ conversionis, quam aliàs cū August. operantem & præparantem vocamus, crediderit & pœnitentiam egerit, atq; ita per fidem & pœnitentiam se ad Deum converterit, ex statu iræ in statum gratiæ non reponetur, h. e. plenè nunquam convertetur. Ita in vanum gratia conversionis accipitur. Præterea notetur etiam, in controversia Synergistica præcipuè de cooperatione hominis in conversione quæstionem esse. Form. Conc. autem, quando errorem Synergistarum oppugnat, nequaquam absolute negat hominem in conversione cooperari, sed negat, eundem *ex propriis & naturalibus viribus* in ea cooperari, ut ex locis *quest. IV.* adductis manifestum est. Deniq; quid multis opus est argumentis? rem ipsam videamus. Quid est, *cooperari*? Nihil certè aliud, quàm *talento gratiæ negociari & per eam actus supernaturales producere*. Id autem juxta communem omnium Theologorum sententiam non tantum post conversionem, sed in ipsa etiam conversione fit, ut jam supra expositum fuit. Aliter id ita enuncio. Homo gratiæ divini cooperatur, quæ primum gratiâ collatâ utitur, ejusq; virtute spirituales actiones elicit. Utitur autem gratiâ Spiritus S. & per eam actus producit tum in conversione, tum post conversionem. Gratia igitur cooperans & in conversione & post conversionem rectè ponitur. Idè etiam *cooperans* appellatur, quòd per eam Deus non (sicut per gratiam operantem & præparantem) *in nobis sine nobis* operatur, sed nos cum eo seu gratia ejus concurrimus, dum per eam benè operamur. Vbi duo sunt, *homo*, qui agit, & *gratia*, per quam unicè omnia agit. Quæ de re jamjam pluribus.

Et ista de quinque gradibus Augustini nostra est sententia. Quòd si quis non accuratè latis ac nervosè rem ad eum modum expeditam censet, solidiora, si potest, & certiora in medium proferat: non tantum non succensibimus, sed magnas insuper gratias ei habituri sumus, dummodo ab adminiculis bonæ eruditionis ita instructus sit, ut solidiora producere possit. Nos ea attulimus, quæ & rei veritati, & sententiæ S. Augustini maximè visa sunt consentanea. Non omni caret difficultate, gradus istos rectè distinguere & explicare. Nec id mirum cuiquam videri debet: modum n. operationis divini, quomodo videlicet gratia Spiritus S. cum facultatibus nostris, intellectu & voluntate, conjungatur, quomodo easdem moveat &

excitet, ignoramus, ut supra jam dictum fuit. Illud porro dubium nullum habet, nos doctrinâ illâ, absolute loquendo, carere posse. Simplicissimè & planissimè omnia expediri posse videntur, si dicatur, per verbum omnibus, qui illud audiunt sive legunt & meditantur, sufficientem gratiam intrinsecâ cõferri, beneficio ejus unicè omnia fiant, quæ ab homine in toto conversionis & salutis negotio præstantur. Illam gratiam largiri facultatem; sed non imponere necessitatem. Subinde etiam auctiorem reddi, si homo eâ benè utatur, & ita talentò gratiæ sedulò negotietur. Juxta illud Servatoris nostri: *Habenti dabitur*; quod Corpus doctrinæ Prutenicum, ubi *de libero arbitrio* agit, benè huc accommodat.

QUÆSTIO VII.

An ille, qui non tantùm gratiam, sed liberum quoque arbitrium defendit, pro catholico & orthodoxo habendus sit?

Ad hanc quæstionem Veteres respondeant, qui contra hæreticos de gratia & libero arbitrio perversè sentientes, veritatem catholicam propugnarunt. Ita a. S. Hieronymus ad Ctesiphontem: *Manicheorum est, inquit, hominum damnare naturam & liberum arbitrium auferre, & adjutorium Dei tollere: rursumq; apertissima insania, hominem dicere, quod Deus est. Et sic ingrediendum viæ regia, ut nec ad sinistram, nec ad dextram inclinemus, appetitumq; propriæ voluntatis Dei semper credamus auxilio gubernari. Ibidem: frustra blasphemias, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. DAMNETVR ILLE qui DAMNAT.* Hæc Hieronymus. Scriptor de vocatione gentium, qui Pelagianorum hæresin itidem oppugnavit, ita loquitur: *Quorundam non sana discretio est, existimantium, quòd prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium.* Scriptor *de iusticiâ* (qui vulgò putatur esse Augustinus) ita habet: *Liberum arbitrium quisquis negaverit, catholicus non est. Et iterum: Liberum arbitrium hominibus esse, certâ fide credimus, & prædicamus indubitan-*

l. l. c. 1.

ger.

ter. Hæc ille. Accedat ipse Augustinus, cujus in epistola 47. ista sunt: *In fide sanè catholica perseverent, quæ neg. liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam, neg. ei tantum tribuit, ut sine gratia Dei aliquid valeat, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat, ubi jã non timeat, ne deficiat. Et lib. de gratia Chr. contra Pel. c. XIV. Quis non videat, & venire quenquam, & non venire arbitrio voluntatis? sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit, non a. potest, nisi adjutum esse, si venit. Et sic adjutum, ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat. Hæc illi.*

QUÆSTIO VIII.

Quo sensu liberum arbitrium cum orthodoxis negandum, quò item sensu cum iisdem adstruendum sit?

Catholicum esse & orthodoxum, ita commendare gratiam, ut liberum non negetur arbitrium, quæstione præcedente vidimus. Nunc quo sensu liberum arbitrium cum orthodoxis adstruendum sit; quo sensu item cum iisdem negandum, indagabim9. Non lubet a. rem ab ovo, quod dicitur, arcessere, & multis, quid libertas à miseria, item à peccato sit, exponere. Tres tantum liberi arbitrij acceptio- nes in medium afferam, ad præsens institutum observatu summe necessarias. *Primo* igitur liberum arbitrium vires voluntatis in supernaturalibus denotat. Quo sensu *arbitrium* hominis, quale jam post lapsum est, non tantum cum Augustino & B. Luthero *servum* rectè dicitur, sed nullum & penitus per lapsum extinctum, quia nimirum voluntas hominis omnibus ad supernaturales actiones exercendas necessariis viribus per peccatum primi parentis denu- data fuit, ut supra ex scripturis probatum dedimus. Huc respexit Chemnitius, quando materiam hanc ita inscripsit: *De libero arbitrio sive viribus humanis*. Dignissima quoq; sunt, quæ hîc legantur, Con- ciliij Arausicani verba, & ita habent: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi nõ potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi.* Unde ipsa veritas di-

est.

cit: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi estis. Deinde idem liberum arbitrium non vires voluntati superadditas & per lapsum amissas; Sed ipsam hominis voluntatem & intellectum, sive, quod eodem recidit, potentias illas physicè & secundùm substantiam atq; essentiam suam consideratas designat. Quò pertinent illa Chemnitij verba: Si liberum arbitrium accipiatur pro ipsa substantia voluntatis, connotatà etiam essentià mentis seu intellectus: na evidentissimum est, ipsam substantiam mentis & voluntatis, per peccatum originale licèt miserè depravatam, viciatam & inquinatam, non tamen prorsus amissam, extinctam, & abolicam esse. Et ista S. Hieronymi paulò antè adducta: Manichaorum est, hominum damnare naturam, & liberum arbitrium auferre. Item: frustra blasphemias, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium damnare. Damnetur ille qui damnat. Deniq; liberum arbitrium non tam ipsam voluntatem secundùm substantiam notat, quàm ejus agendi modum, ut Chemnitius accuratissimè appellat, qui alibi de libero arbitrio in isto sensu accepto ita loquitur: Liberum arbitrium propriè significat divinum vim & facultatem mentis & voluntatis, quà discernuntur ab iis, quæ sine mentis cogitatione seu deliberatione, sive voluntatis aliqua electione & expectatione, vel naturaliter agunt, vel violenter impelluntur. Hæc iterum ille Subjungo verba Gerhardi quæ ab istis non multum abludunt: Libertas adsignatur arbitrio, inquit, habito respectu ad modum agendi, qui talis est, ut voluntas, quatenus talis, liberè agat, h. e. non cogatur, aut violenter rapiatur externo motu, nec ex naturali instinctu solum agat, sed sponte suâ seu interno motus principio aliquid vel amplectatur vel rejiciat. Ista Gerhardus.*

Nos alibi liberum hominis arbitrium seu libertatem voluntatis ejus in ista acceptione sumtam ita descripsimus: *Liberum arbitrium, quod homini, quatenus homo est, competit, est vis, quâ non sponte tantum, sed ita etiam agit, ut positis omnibus ad actum necessarius, actum suum exercere, aut non exercere, aut etiam hoc, aut contrarium agere valeat.* Hæc ibi. Quæ definitio ut verissima, ita quoq; in scholis Philosophorum notissima est, ex quibus Theologorum filij eam mutuari necesse habent. Philosophus enim (si accuratè omnia expendere, & unumquodq; ad suum forum seu scholam suam remittere volumus) Philosophus, inquam, de eo, *quid liberum arbitrium sit, disputat; Theologus autem in id inquit, quid idem illud possit, seu quæ vires*

Exam. l. c.
p. 206.

Exam.
p. 212.
** ib. p. 206.*

l. c. p. 383.

vires ei hoc vel illo in statu suppetant, vel non suppetant. In qua sententiam præclare Meisnerus ita scribit: *Liberum arbitrium*, inquit, *Anthrop. consideratur* 1. *Philosophicè*, respectu suæ *viciæ*, quatenus notat inter- *sacr. dec.*
num liberumq; agendi principium. Ubi certè nihil esse potest aliud, quàm *III. diss.*
voluntas, quippe qua sola est potentia indifferens, & illud internum li- *21. th. 40.*
berumq; actionum principium. 2. *Theologicè*, ratione suæ *ivtegritas*,
 ubi non tam aestimatur quid sit, quàm quid possit, vel quas in agendo
 vires obtineat. Hoc respectu liberum arbitrium non est ipsa voluntas,
 quia hæc in omni statu hominis quod essentiam manet eadem, liberum
 verò arbitrium variatur, adeò quidem, ut illud in statu lapsus nullum
 vel amissum esse dicatur. Voluntas vero minimè amissa est, unde arbi-
 trium Theologicè sumtum à voluntate multum differre consequitur. Est
 autem nihil aliud, quàm vis quædam voluntati superaddita, eamq; per-
 ficiens, per quam illa ad bonum promptè inclinatur, & quod elegit, faci-
 lè exequitur. Hactenus Meisnerus, qui ad istum modum omnia
 accuratè distinguit, & Philosophis suum, suum item Theologis con-
 siderandi & tractandi modum relinquit.

Redeo jam ad illam paulò ante allatam liberi arbitrij descri-
 ptionem, eamq; cum definitione Chemnitij, si rem ipsam spectes,
 coincidere dico: nam & ille liberum arbitrium in tertia significatio-
 ne acceptum *δύναμις* vocat, sive vim, qua homo ab iis distinguitur,
 que sine voluntatis electione naturaliter agunt, aut violenter impellun-
 tur. Quibus verbis Chemnitius ad modum agendi respicit, qui ho-
 mini, ut homo est, competit. Bruta videlicet, etsi sponte sua ali-
 quid agant, naturaliter tamen & necessariò agunt, h. e. ita agunt, ut
 non possint non agere. Homo autem non sponte animi tantùm,
 sed cum libera insuper electione voluntatis, ut verba Chemnitij ha-
 bent, h. e. ita agit, ut possit etiam non agere. Modus ille agendi vo-
 cabulo *indifferentiæ* à Philosophis & Theologis exprimitur: nec enim
 indifferentem esse, quicquam aliud est, quàm in agendo ad unum,
 non esse determinatum, sed ita agere, ut possis etiam non agere.
 Meisnerus, qui voluntatem paulò ante potentiam indifferentem dixit, *l. c. th. 37.*
 eodem in loco *indifferentiam formalem*, quam voluntati propriam
 facit, in propositis (objectis) liberè eligendis consistere docet. Idem in
 describenda libertate hominis iisdem planè verbis utitur, quæ ego
 in descriptione mea adhibeo, & aliàs tritissima sunt: Et sanè, inquit,
 quòd voluntas non necessariò in alteram partem determinetur, patet ex *l. c. th. 51.*

ipso inter potentias naturales & liberat discrimine, quarum illa positio omnibus ad agendum requisitis, necessariò determinatur ad agendum, ut non possint non agere: hæ non determinatur, sed agere, & non agere possunt. Hactenus Meisnerus. Quod ad rem ipsam attinet, immotum manet, & in Philosophia accuratè demonstratur, libertatem homini propriam in indifferentia voluntatis ad agendū & non agendum consistere. Unde rectissimè Maccovio Calviniano alicubi tribuitur, quòd absurdissimè defendere conetur, libertatem voluntatis non in indifferentia, sed spontaneitate consistere. Additur argumentū, quo communiter Philosophi & Theologi utuntur: *Hac ratione enim & bruta animantia, cum secundum inclinationem naturalem aliquid faciunt, ad unum determinata liberè agerent.* Rectiùs de libertate hominis Ludovicus Crocius, Bremensis Theologus Reformatus, loquitur, (utinam semper etiam ita sentiret!) verba ita habent: *Ibi voluntatis libertas, quam Græci τὸ αὐτεξέσιον aut τὴν αὐτεξέσιοντα appellant, incipit, ubi volendi necessitas desinit, siquidem id ipsum est libertatem voluntatis habere, posse velle, ubi & nolle possit, & vicissim.* Subjicio verba Dn. D. Horneij, quibus ea, quæ attulimus hactenus, illustrari possunt: *Et hinc est, inquit, quòd cum de libertate arbitrij à Theologis differitur, dupliciter potissimum vox ea accipitur: 1. pro viribus liberi arbitrij ad bona agenda, quas naturaliter habet, aut secundum communem naturam cursum jam post lapsum habere potest. Ad bona agenda, inquam: nam mala facere seu peccare, non virium aut potentia alicujus, sed infirmitatis & impotentia est. 2. pro ipsa ejus libertate & indifferentia in agendis iis quæ agit, sive bona hæc sint, sive mala, sive item per proprias & naturales ejus vires fiant, sive per supernaturales & aliunde acceptas. Hanc distinctionem ipse S. Augustinus, sive quicumque, autor est, lib. III. iniquitatum inculcat, cum ait: *Per peccatum liberum arbitrium hominis possibilitatem perdidit (puta ad bonum) non nomen & rationem, i. e. in differentiam & libertatem ipsam.* Nostri Theologi prius illud vulgò vires humanas appellant, posterius contingentiam actionum, ut postea dicitur. Hæc pl. Reverendus Dn. D. Horneius, qui eandem auream prorsus, & vel solam expediendis hinc præcipuis difficultatibus sufficientem inter vires liberi arbitrij & indifferentiã ejus distinctionem alibi in hunc modum proponit: *Si per liberum arbitrium nihil aliud, quàm naturales intellectus & voluntatis nostræ vires, quas homo post lapsum & ex se habet, denotentur, quo sensu hac voce non**

Diff. VIII.
n. 15.

disp. Theol.
log. part.
2. disp. 3.
sect. 2. th.
45.

l. c. th. 66.

rard

varò ipse S. Augustinus utitur, rectè id negatur. Sin verò per liberum arbitrium no n vires aliquæ naturales, per quas sive intellectus verbo divino, ut oportet, credat, sive voluntas ad Deum convertatur, sed ipsa tantùm illarum actionum contingentiæ & intellectus ac voluntatis ad eas indifferentia significetur, quâ etiam illa, quæ homo in talibus non per naturales, sed divinitus concessas vires agit, non necessario sed liberè & contingenter agit, omninò illud cum scripturis & veteri ecclesia contra Calvinum, & qui cum eo faciunt, adserendum est. Hæc iterum ille. Addo. Si per liberum arbitrium ipsum intellectum ipsamq; voluntatem intelligas, seu potentias illas physicè & in se spectatas, tunc illud iterum cum Catholicis & Orthodoxis contra Manichæos adstruendum est. Damnetur ille, dicimus cum S. Hieronymo, qui liberum arbitrium isto sensu acceptû damnat. Et hæc ad illam quæstionem.

QVÆSTIO IX.

Quomodo gratia cum libero arbitrio conciliari possit ac debeat?

Vidimus hactenus tres distinctas liberi arbitrii acceptiones, *prima vires voluntatis, altera ipsam voluntatem, tertia deniq; modum agendi*, qui voluntati humanæ proprius est, complectitur. Meisnerus ut & alii secundam & tertiam significationem in unam contrahunt, quia indifferentia voluntatis vel idem est cum ipsa voluntate, vel non multùm ab ea diversum. Unde etiam *modus agendi* ipsum potentix nomen sortitur, quando à Chemnitio, Meisnero & aliis *divinus* sive *vis & facultas* appellatur. Cæterùm nos modum agendi, ab ipsâ *facultate*, quæ principium agendi est, distinximus, ut omnia eò dilucidius proponi possint. De libero igitur arbitrio in primo sensu h. e. de viribus voluntatis inter orthodoxos & Pelagianos ac Synergistas disputatur. De eodem in altero sensu inter Catholicos & Manichæos olim disceptatum fuit. De libero deniq; arbitrio in tertia significatione sumto inter nos & Reformatos, ut & omnes alios gratiæ irresistibilis patronos controvertitur: illi enim gratiam ita defendunt, ut libertatem voluntatis, quæ propriè ita dicitur, tollant; nos autem *ita commendamus gratiam, ut liberum non negemus arbitrium*. Observandum autem, non exiguam & olim fuisse, & adhuc hodiè esse in conciliando cum gratia libero arbitrio difficultatem.

l. 4. contra Unde S. Augustinus: *Ista quaestio, inquit (de concursu gratiæ & libe-*
Jul. Pelag. ri arbitrij) ita difficilis est ad discernendum, ut quando defenditur li-
c. VIII. berum arbitrium, negari DEI gratia videatur. quando autem asseritur
DEI gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Hæc ibi. Alibi di-
ep. XLVI. sputationem de gratia & lib. arb. difficillimam & paucis intelligibilem
quaestionem idem Augustinus vocat, cui jure meritoq; fides hîc ha-
betur: ipsum enim disputationes istæ præ omnibus aliis maximè
exercuerunt. Præclarè etiam Chemnitius noster in eandem senten-
LL. côm. tiam ita loquitur: Ut cautiores & prudentiores sumus in hujusmodi di-
de lib. arb. sputationibus, utilis est consideratio exemplorum, quòd multi, quibus
p. 439. nec ingenium, nec diligentia defuit, non tantum hallucinati sint; sed
sapè toto cælo à vera sententia aberrarint. Hæc Chemnitius, ubi de
lib. arbitrio tractandi initium facit.

Nos, quomodo liberum arbitrium cum gratia orthodoxè conciliari possit ac debeat, optimè videbimus, si juxta tres supra allatas liberi arbitrij acceptiones ita progrediamur. Liberum arbitrium in primo sensu cum gratia simul stare non potest: ubi enim naturales voluntatis vires sufficiunt, ibi non opus est gratiâ; & vicissim, ubi gratiæ vires necessariò requiruntur, ibi nulla voluntati vis ex se suppetit. Unde Pelagius, dum naturales liberi arbitrij vires adstruxit, gratiæ necessitatem è medio sustulit. Nec ad istum modum gratia cum libero arbitrio conciliari potest, ad quem Synergistæ volunt, existimantes, gratiæ vires cum naturæ viribus conjungi: nullæ enim penitus, ne minimæ quidem, voluntati humanæ post lapsum supersunt, ut supra vidimus. Porrò si ad secundum sensum respicias, & liberum arbitrium pro ipso intellectu ac voluntate accipias, secundum catholicam fidem certum & indubitatum est, gratiam cum libero arbitrio optimè consistere; siquidem *gratia naturam non destruit; sed perficit.* Hinc ipsa Scriptura: *Corde creditur ad iustitiam* Item: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto animo &c.* Bene etiam Chemnitius: *Certum est, inquit, Spiritum S. in conversione non abolere, destruere aut extinguere potentias animæ, que vulgò ita vocantur; sed sanat & renovat illas.* Et paulò post: *Rectè & hoc (Augustinus) contra Manicheos dicit, de civ. D. l. 14. c. 11. conversionem fieri non de tractâ substantiâ animæ, vel ullâ ejus parte sublatâ: sed eâ, que vitiatâ ac depravatâ fuerat, sanatâ atq; correctâ.* Hæc ille. Ut omnia ed- clariora fiant, consideretur hîc, quod infra pluribus persecutori fu-
mus,

Rom. X. 10.

Exam.
p. 222.

mus, conversionem nihil aliud esse, quàm hominis & facultatum
ejus (intellectus cum primis & voluntatis) quandam immutationem.
Homo vid. cujus intellectus tenebris ignorantiae hactenus obscuratus
fuit, ex verbo Dei mysteria fidei cognoscit, & qui hactenus ad
malum tantum propensus fuit, illud jam aversatur, & bonum velle
incipit. Uta. sine intellectu nihil cognoscit, ita sine voluntate nihil
vult, *sine mente n. & intellectu*, inquit Chemnitius, *nemo aliquid in-* l. c. p. 220.
telligit, cogitat aut judicat; sine voluntate nemo desiderat, expetit, qua-
rit, conatur luctatur. In conversione igitur intellectus, dum my-
steria fidei intelligit, voluntas item, dum bonum supernaturale vult,
concurrunt, suasque operationes exercent; verum non ex propriis &
naturalibus, sed novis gratiae Spiritus S. viribus. Et hæc hactenus.

Venimus jam ad *tertium* liberi arbitrii sensum, in quo *modum*
indifferenter *agendi* denotat, & cum gratia in conversione iterum
optimè conspirat. Id quod ita patet. Gratia Spiritus S. extrinsecus
per verbum adveniens, sed intrinsecus in homine operans, novam
efficaciam & novas facultates seu vires præbet, ut infra ex Augustino
& Chemnit. explicabimus, sive, ut capitulum septimum secundæ
Arausicanæ Synodi habet, *dat omnibus facultatem in consenti-*
endo & credendo veritati. Ut autem *facultatem* & vires homini
exhibet, quarum beneficio ille se ad Deum convertere potest, ita *ne-*
cessitatem nemini imponit. Non itaque hominem ad unum opposi-
torum determinat, nimirum ad sese necessario convertendum; sed
patitur sibi resisti, suasque, quas inchoavit, actiones impediri, juxta
illud S. Stephani: *Vos semper resistitis Spiritui S.* Positâ igitur gra- A. VII. 51
tiâ seu facultate, quam illa ad adsentiendum & credendum veritati
præbet, homo liber redditur & indifferens ad utrumque oppositorum.
Potest vid. in virtute collatæ divinæ gratiæ sive beneficio virium,
quas illa donat, se ad Deum convertere, (implicat enim contradic-
tionem, accepisse vim & facultatem ad conversionem sufficientem, &
non posse se convertere,) potest etiam se non convertere, si nimirum
congenitæ pravitati suæ indulgere, gratiæ Spiritus S. obicem pone-
re, eiq; resistere ac obniti velit. Illud *unicè* à speciali Spiritus S. gra-
tia habet; istud ab adhærere pravitate naturæ. *De gratiæ opitulatione*
(voluntas) *habet, si proficit*, inquit præclare Autor librorum de vo- l. II. 26.
catione gentium, *de sua mutabilitate, si deficit.* Hinc etiam S. Au- l. de præ-
gustinus alicubi apertè innuit, quod *credere & non credere in arbi-* dest. sanct.
trio voluntatis suum sit. D 3 trio 6. 5.

Atq; ad istum modum gratia cum libero arbitrio seu indifferencia voluntatis optimè consistit. Nec quisquam, nisi Reformatus, aut determinantis, necessitantis sive irresistibilis, quam vocant, gratiæ patronus, ista omnia in dubium vocabit. Nostri certè doctores sententiam hanc contra Reformatos constanter hæcenus defenderunt, & probè notetur, inter nos & Reformatos nullam esse de libero arbitrio controversiam, si ista non est. Quòd si enim per liberum arbitrium vires voluntatis in supernaturalibus intelligas, negant illi nobiscum, ulla homini post lapsum superesse, & proinde gratiæ in solidum omnia accepta ferunt. Quòd si etiam ipsam voluntatem & intellectum liberi arbitrij nomine designes, nec ibi diversum à nobis statuunt. Tantùm de eo inter nos & illos controversitur, *num homo liberè h. e. ita convertatur, ut possit etiam non converti?* Item: an libertas homini, ut homini, propria *in spontaneitate*, an verò *in indifferentia ad utrumq; oppositorum consistat?* Qua de re paulò antè plura diximus. Nunc locum ex Gerharδο submitto, ubi accuratè docetur, quòd voluntas in ipsa etiam conversione ita à gratia moveatur, ut possit agere & non agere. *Voluntatem in bonis pietatis*, inquit, *sic agi à Deo, ut non possit non agere, nemo nostrum dicit. Potest enim hominis voluntas Spiritui S. resistere, & opus conversionis impedire: neg, enim absolutè, sed ordinarià potentià Deus agit in conversione. Ergo in conversione ita agitur voluntas hominis à Deo, ut possit agere & non agere, h. e. quando Spiritus S. conversionis opus aggredditur, potest voluntas humana pertinaciter reluctans illud impedire, ac saepe, pro dolor! impedit.* Hæcenus Gerhardus. Ut paucis rem totam expediamus, homo sufficientibus viribus gratiæ instructus, in sui conversione ad Deum liber est non tantùm à *coactione*, verùm etiam à *necessitate determinationis*. Liber itaq; est eà libertate, quæ in *indifferentia* ad utrumq; extremorum consistit. Res nimis clara est, iisq; notissima, qui terminos saltem intelligunt, & in Philosophia paulò rectiùs instituti sunt. Nos relictis istis ad alia progrediemur, si tribus tantùm verbis objectionem, quæ ex F. C. hæc afferri potest, diluerimus. Liber Concordiæ formam illam loquendi, quæ homini *modum agendi* tribuit, repudiat. Cæterùm, ut ex contextu manifestissimum est, per modum agendi *vim adbenè agendum in rebus spiritualibus* intelligit, quam & nos homini sibi relicto sive ante conversionem prorsum denegamus, quin si quis per modum agendi modiculum saltem, vel minimam scintillam virium in natura corrupta

LL. Theol.
Tom. II.
p. 997.

rupta latentium intelligat, & eò sensu homini nondum renato modo agendi tribuat, ei cum omnibus orthodoxis contradicimus. Id a. cum Chemnitio per eum intellectū volumus, quod aliàs communiter & apud Philosophos & apud Theologos eò denotari consuevit.

QUÆSTIO X.

Quomodo concursus gratiæ & liberi arbitrii rectè intelligendus & orthodoxè explicandus sit?

Quando Theologi de cooperatione hominis seu voluntatis humanæ disputant, eam per concursum gratiæ & liberi arbitrii exprimere nonnunquam solent: concursus n. iste (præsertim, qui in ipso conversionis actu fit,) secundum rem nihil est aliud, quam cooperatio hominis: Unde si alterutrum horum rectè adsecutus fueris, de utroq; constabit. Cœterum quia tota hæc doctrina paulò subtilior est & abstrusior, indeque nonnulli, qui eam non rectè intelligunt, mira somniant, quando aliquid *de concursu gratiæ & liberi arbitrii* audiunt, propterea eandem, etiam prout hisce terminis substat, quoad fieri poterit, planam & perspicuam reddere conabimur. Illud a. ante omnia observandum est, orthodoxos per gratiæ & liberi arbitrii concursum hautquaquam id denotatum ire, quòd liberum hominis arbitrium ex propriis & naturalibus viribus suis unà cum gratia ad conversionem concurrat, aut ad eam aliquid conferat, ita, ut gratia & liberum arbitrium seu naturales vires ejus causæ partiales & sociæ conversionis existant. Qui tale quid fingit, quando apud *Chemnitium*, *Gerhardum* aliosq; orthodoxos voluntatem hominis concurrere legit, toto coelo aberrat, & mentem illorum planè non adsequitur, idq; eis tribuit, quod per sebrim nunquam somniant. Concursus isto sensu acceptus est primus ille heterodoxus cooperationis modus, quem supra rejecimus. Et ita, *quid concursus gratiæ & liberi arbitrii non sit*, apparet, nunc positivè eum, & *quid sit*, explicabimus.

Meritò autem illud ex Augustino hîc repetimus, quòd Deus quædam in nobis operetur *sine nobis*, quædam *cum nobis*, sive ut consuevit more loquar, nobiscum. In nobis *sine nobis* operatur, dum ipse nos convertit, gratiâ suâ prævenit, facultates nostras, intel-

atum

etum scilicet & voluntatem internâ & mirabili virtute excitat, cor
 lapideum aufert & carneum donat, h. e. novas vires indit. Haecenus
 Deus in nobis sine nobis operatur, & solus omnia peragit. Quando a.
 viribus illis utimur, & per eas actus supernaturales elicimus, *nobis-*
cum agit, sive, quod eodem recidit, nos ei cooperamur & cum gra-
 tia concurrimus. Nulla hinc cooperatio, nullus concursus, qui ulla-
 tenus ex propriis viribus procedat, & actus supernaturales inter vi-
 res gratiæ & vires naturæ partiatur, fingendus vel somniandus est,
 sed totum negotium ita concipi debet. Liberum arbitrium se-
 cundo sensu acceptum (recolamus ea, quæ suprâ attulimus) seu
 ipse intellectus & voluntas hominis concurrunt, dum facultates
 seu potentiæ illæ principia proxima sunt, quæ actus supernaturales
 producant vel *eliciunt*, qui modus loquendi Philosophicus est &
 accuratus, ac proinde ab ipso Chemnitio hinc adhibetur. Quan-
 do v. g. intellectus adfentitur verbo Dei, & voluntas bonum super-
 naturale appetit, in utroq; actu duo concurrunt, gratia Spiritus S.
 seu vires supernaturales, quarum beneficio unice omnia fiunt: (nativis
 n. viribus nullis, ne minimis, ut toties dictum fuit, locus hinc re-
 linquitur,) & ipsæ potentiæ; *ibi* intellectus, qui actum adfentienti &
 intelligendi, *hic* a. voluntas, quæ actum volendi elicit. Huc illa
 Augustini verba pertinent: *Certum est, nos facere, cum facimus*. Et ite-
 rum: *Nos ergo volumus; sed Deus in nobis operatur velle. Nos ergo o-*
peramur; sed Deus in nobis operatur & operari, pro sua bona voluntate.
Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc est pium, hoc verum, ut sit
similis & submissa confessio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus,
cogitantes loquimur, cogitantes agimus, quicquid agimus: quod a. atti-
net ad pietatis viam & verum Dei cultum, non sumus idonei ex nobis i-
psis cogitare aliquid, tanquam ex nobis ipsis; sed sufficientia nostra ex
Deo est, h. e. solus Deus dat vires faciendi, credendi, cogitandi, vo-
lendi. Et rursus: Ut velimus, inquit, & suum esse voluit, & nostrum,
suum vocando, nostrum sequendo. Magis adhuc perspicue alibi: U-
trumq; nostrum est, (velle scilicet credere & amare) propter arbitrium
voluntatis (quod actus illos elicit) & utrumq; datum est per spiritum
fidei & caritatis, (ille vires solus subministrat.) Quibus ista pariant:
Utrumq; (credere & velle) ipsius est, quia ipse preparat voluntatem: &
utrumq; nostrum est, quia non fit nisi volentibus nobis. Clarissime deni-
que: Quamvis nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus facere, os non
possumus aperire, tamen nos aperimus illius adiutorio, (h. e. viribus ejus)
 & ope-

l. c. p. 213.

l. de gr. &
 lib. arb. c. 1.
 l. de bon.
 pers. c. 13.

l. 1. ad
 Simpl.
 l. de prad.
 sanct. c. 3.
 l. 1. Retr.
 c. 23.
 l. 2. conr.
 duas ep.
 Pel. c. 8.

& opere nostro (ipsum opus seu actio nostra est, & à nobis ut proximis agentibus producitur.

Huc referendus quoq; est, nec aliter quàm ad istum modum intelligendus Autoris de *vocatione gentium* prolixus locus, qui l. II. c. 26. occurrit & ita habet: *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præminet, svadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculù, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corq; ipsum illuminando & fidei affectionibus imbuendo, sed etiam voluntas hominù subjungitur ei atq; conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidis, ut divino in se cooporetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit; de gratia opitulatio, si proficit: quæ opitulatio per innumeros modos sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur, & quod à multù refutatur, ipsorum est nequitia, quod autem à multù suscipitur, & gratia est divina (dantis seu largientis vires) & voluntatù humana (exercentis per gratiam vel vires illas virtutes seu actiones supernaturales.)* Integrum hunc locum Gerhardus adducit, qui aliàs etiam, ubi ex professo de gratia disputat, ejusq; necessitatem adstruit, verba Autoris illius magno numero allegat. Nec negari potest, eum, quicumq; tandem fuerit, (maximè probabile est, fuisse Hilarium Arelatensem) & acerrimum Pelagianorum hostem extitisse, & doctrinam de concordia gratiæ & lib. arbitrii acutè explicasse, in eorq; palmam ipsi Augustino fermè præripuisse. Ultima producti loci verba, quæ præ cæteris attentionem merentur, Chelmitius etiam citat. Neuter autem Pelagianismum, Semi-Pelagianismum vel Synergismum hîc somniat. Subijcio iterum verba pl. Rev. Dn. D. Hornei, quæ huic doctrinæ lucem foenerari possunt: *Sic Deus, inquit, (in conversione) omnia, minima maxima, per peculiarem suam gratiam in nobis operatur, non ut ipse credat, pœnitentiam agat, vitam novam vivat; sed ut nos id faciamus, ipso facultatem & vires ad hæc omnia suppeditante.*

Præterea & secundò homo sive voluntas hominis concurrere dicitur, quia liberè, h. e. ita gratiâ Dei & viribus supernaturalibus utitur, ut possit etiam non uti. Positâ nim. gratiâ homo virtute ejus potest credere, & per fidem se convertere; potest etiam non credere, & per contumaciam in infidelitate perseverare. Dum igitur alterum eorum liberè eligit, & gratiâ ita utitur, ut possit etiam non uti, concurrere dicitur.

E

Audia-

II. Comm
l. c. p. 493.

Audiamus Chemnitium, qui omnia, quæ attulimus hæcenus, breviter ita complexus est: *Concurrit enim voluntas humana, inquit, non ita, quasi ex suis viribus adjuvet actiones spirituales, sicut in excellenti habitu concurrunt res causæ; naturalis impetus, doctrina & exercitatio. Hæc enim Pelagii sententia est. Sed numeratur voluntas humana inter causas bonæ actionis 1. quia potest resistere Spiritui S. Act. 7. 51. & destruere opus Dei, Rom. 14. 20. 2. annumeratur voluntas humana. Nam filii Dei aguntur Spiritui S., non ut ignorantes & inviti credant, aut bene operentur: Sicut Beileam benedicit, Num. 23. 8. & asinus ejus loquitur, Num. 22. 28. Caiphas prophetavit, Joh. 11. 51. Sed gratia facit ex nolentibus volentes, quia operatur velle, Rom. 7. 22. Hæc placet Chemnitius, cujus ut merito suo maxima, ita saluberrima est in ecclesiis nostris autoritas, præsertim ad insultus quorundam imperitorum eò fortius nonnunquam retundendos. Addit ille: *Concurrit ergo ad bonam actionem etiam voluntas humana, sed non captiva & mortua, quali per se & suâ naturâ est, sicut describitur Eph. 2. 1. sed liberata & vivificata per Spiritum S.* Idem & nos volumus: semper enim hic *de voluntate à Domino preparata* sive à Deo conversa, h. e. viribus supernaturalibus jam instructa loquimur, ut ut voluntas illa se nondum ad Deum converterit. Duo ista (à Deo converti, & ad Deum se convertere) distincta esse, infra ipsis Scripturæ verbis manifestum faciemur.*

p. 998.

Quæris, annon homo in ipso statim conversionis initio concurrat? Respondeo, concurrat equidem sed non ut principium eliciens actus, verum ut subjectum convertendum, quod gratiam recipit, & merè passivè tantum se habet. Vide Gerhardum, qui l. c. ita loquitur: *In primo conversionis initio voluntas concurrat, non ut instrumentum cooperans, sed ut subjectum, in quod agit Spiritus S., non coactione, nec naturali impressione; sed liberatione, illuminatione, renovatione: posteaquam vero voluntas novè viribus donata est, concurrat ut instrumentum (non naturale, sed liberum (adeoq; activum.))*

Ut membra disputationis colligamus, & rem totam in pauca contrahamus, nisi intellectus & voluntas in initio statim conversionis concurrerent, non posset fieri conversio: ubi enim subjectum convertendum deest, quid convertetur, quid mutabitur? si aqua deficit, quomodo amara dulcis fiet? Perpulcrè Bernhardus: *Tolle liberum arbitrium, inquit, non erit, quod salvetur.* Deinde nisi in progressu ejusdem conversionis,

versio,

versionis intellectus & voluntas iterum concurrerent, & per gratiam actiones supernaturales elicerent, non homo ab infidelitate ad fidem se converteret, nec poenitentiam ageret, sed Spiritus S., quod absurdum est. Utut autem homo, sive intellectus & voluntas ejus actus spirituales eliciant, nullatenus tamen, seu nulla, ne minima quidem ex parte id *virtute naturali*, sed unice & in totum *vi ac virtute supernaturali* efficiunt, adeoq; quia actus supernaturalis, quatenus supernaturalis est, in totum à principio supernaturali dependet, h. e. ab intrinseca Spiritus S. gratia, hinc eidem in totum etiam adscribendus est. Nihil itaq; hic inter naturæ & gratiæ vires dispartitur, sed cum S. Augustino *totum Deo damus*. Velle, naturale est, ut & intelligere: velle autem bonum supernaturale, intelligere mysteria, non est naturale, sed supernaturale. Rectificatio actuum, ut nonnulli loquuntur, in totum est à Spiritu S., nequaquam ulla ratione ab homine.

Quò sequentia Stegmanni verba pertinent, quæ submitto: *Deinde, Photin. quod dicitur, inquit ille, sine voluntate non produci ullo modo conversionem, disp. 28. id eatenus tantum admittimus, quatenus voluntatis actio ad opera Dei concurrat, ratione facultatis ipsius, et si non ratione motus facultatis: v. g. fiducia in Deum est sanctissimum Dei opus, fiducia autem in genere est opus voluntatis, sed non ratione primi motus, quasi voluntas primum omnium semet commoverit ad fidendum Deo; sed ratione facultatis mota, in qua Deus hoc fiducia opus generat, quæ, ut facultas, ratione actus, non vero ut talis actus, vel in genere, non in specie ratione divini actus concurrat: quemadmodum Elise minister cernebat quidem visivâ suâ facultate angelicos exercitus in forma equorum & curruum igneorum, sed motus facultatis visivæ ad eam visionem erat à Deo oculos aperiente; videbat quidem in genere, sed visio ejus tantum secundum sua naturalia concurrebat; verum ut ad talem visionem per se eliciendam nihil virium habebat. Plusculum ipsi voluntati non concedimus. Hæc Josua Stegmannus, qui ad istum modum gratiæ & lib. arbitri concursum optimè, ut opinor, explanat. Duo autem notat. Unum est, quod voluntas in conversione tantum ratione facultatis ipsius, non autem ratione motus facultatis concurrat, h. e. quòd voluntas quidem in conversione actus producat, & eatenus, prout nim. substantialis potentia animæ est, concurrat, minimè autem se primum omnium moveat: nisi enim prius à Spiritu S. mota & excitata seu viribus supernaturalibus instructa fuerit, in spiritualibus se movere seu actus*

supernaturales producere nequit. Quando autem voluntas mota se movet, ipsa est, quæ per gratiam se movet, & ad eum modum ratione facultatis, ut Stegmannus loquitur, concurrat. Alterum, quod idem observat, istud est, quòd voluntas ratione actus in genere, non ratione talis actus concurrat: *velle* enim à voluntate, ut actus vitalis à principio suo prodit, quòd autem *tale velle* est (supernaturale nim.), id unice à gratia Spiritus S. dependet.

QUÆSTIO XI.

Num oblatâ sive positâ gratiâ in hominis potestate sit per illam (Dei gratiam) se convertere, & si nolit, non convertere?

De modo isto loquendi, *hoc est in potestate*, notandum, quòd duo significet. Primò *libertatem voluntatis*, sive indifferentiam ejus ad utrumq; oppositorum; quo sensu Germani dicunt: *das stehet in meiner freyen Willkühr/ das stehet bey mir/ ob ichs thun wil/ oder nicht*. Deinde verbis istis *vires* exprimentur, quibus aliquis ad hoc vel illud agendum instructus est. Germani eò sensu dicunt: *das steht in meinen Kräfften*. Prior acceptio communior fermè est, quàm posterior, utraq; tamen trita. Ipse autem loquendi modus Theologis & Philosophis, si quisquam alius, usitatissimus. Chemnitius, cùm ostendisset, antiquissimos scriptores ecclesiasticos, *Irenæum* videlicet & *Tertullianum*, postea etiam *Augustinum* istâ loquendi formulâ ad exprimentum liberum hominis arbitrium usos esse, ex ipsa scriptura eam arcessit, dum ita scribit: *Videtur autem vocabulum potestatis sumtum esse ex loco Pauli 1 Cor. VII. 37. qui non habet necessitatem, sed potestatem sua voluntatis, ἐξουσίαν ἢ ἐχθ' ὡς ἐθέλει ἰδίῃς θελήματι*, & hoc deliberavit in corde. Addit: Et hic locus præbet veram descriptionem liberi arbitrii, scilicet *deliberare in corde de illis rebus, in quibus voluntas habet potestatem*. Hæc ita Chemnitius, qui optimè monet, ex illo Pauli loco veram liberi arbitrii descriptionem sumi posse: opponit enim Apostolus illud; *in potestate habere propriam voluntatem*, necessitati, idq; eam ob causam, quòd, qui ex necessitate agit, ita agit, ut non possit non agere; qui autem in potestate habet propriam

LL. Comm
de lib arb.
p. 442.

priam voluntatem, ita agit, ut actionem suspendere, vel etiam contrarium agere valeat, sive, agit, quod vult, ut his verbis Apostolus paulò antè libertatem in agendo expressit. Subijcio verba S. Augustini, quibus egregiè ostenditur, quid per illud *in potestate* designetur: *Motus*, inquit, *l. 3. de lib. quò huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atq;* *IN NO-* *arb. c. 5.*
STRA POTES- TATE, neq; laudandus esset homo, cum ad superiora,
neq; culpandus, cum ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem vo- *c. 3.*
luntatiù. Et alibi: Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset IN NO-
TRA POTES- TATE: porro quia est in potestate, libera est in nobis.
Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus. Hæc ille. Ex quibus manifestissimum est, modo isto loquendi, *IN POTES- TATE EST*, libertatem hominis, quæ propriè ita dicitur, h. e. *indifferentiam* voluntatis ad agendum & non agendum, ad agendum hoc, & agendum illud denotari.

Eodem vires, ut diximus, nonnunquam exprimuntur, quibus aliquis ad hoc vel illud instructus est. Huc pertinet locus S. Augustini, qui diligentem observationem meretur. Scripserat ille ante exorta certamina Pelagiana: *Nisi quinquam voluntatem mutaveris, bonum operari non-* *l. i. Retr.*
potest, quod in nostra potestate esse positum, alio loco Dominus doces, ubi *c. 22.*
ait: Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite
arborem malam, & fructum ejus malum. Ita Augustinus libro contra Adimantum Manichæi discipulum ante certamina, quæ Pelagius movit, editum. Queritur autem, num adsertio illa prædicationi gratiæ adverteretur, quando mutare voluntatem in potestate hominis esse ad-
 verteretur? Augustinus id negat; ita enim subdit: *Quod non est contra*
gratiam Dei, quam (nunc contra Pelagium) prædicamus. Quæ ita? in po-
testate quippe hominis est, pergit, mutare in melius voluntatem; sed ea pote-
stas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dictum est, dedit eis potestatem fi-
lios Dei fieri. His verbis sanctissimus Pater perspicuè docet, quomodo adsertio illa prædicationi gratiæ non officiat, si nimirum dicatur, pote-
 statem seu vires illas mutandi voluntatem in melius non ab homine, sed à Deo esse. Dummodò igitur ad illud; *in potestate hominis est*, addatur, *per gratiam* omnia fieri, *Spiritum S. item donare vires & facultatem,*
quarum beneficio univè omnia fiant, & nullus hîc Pelagianismus latitat,
 sed omnia salva sunt. Subijcio verba, quæ in Augustino sequuntur, in quibus priorem significationem modi istius loquendi cum posteriori

de pecc.
orig. &
lib. 17b.

complicare videtur: *Cum enim hoc sit in potestate, inquit, quod, eum volumus, (i. e. libera voluntate) facimus, nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est; sed preparatur voluntas à Domino.* Hactenus Augustinus. Ut res adhuc clarior fiat, ad animum quisque sibi revocet, quod homo contra dubium in conversione aliquid agat: si agit aliquid, facultate agendi eum instructum esse oportet: absque facultate enim agendi nihil quicquam agere potest. Rectissime igitur *Corpus doctrina Prutenicum* id ipsum supponit, hominem in conversione constitutum (ubi scilicet per gratiam prævenientem & operantem jam præparatus est) facultate agendi pollere. Accuratissime autem notat, *hanc esse questionem, hunc esse statum controversiæ* inter Orthodoxos & Synergistas, aliosque virum liberi arbitrii patronos, *UNDE homini* (verba ejus recito) *in conversione sit facultas, aperiendo, seu (ut ita loquamur) idoneitas illa, quod velit & possit bonum cogitare, amplecti & facere?* Quod si hic respondeatur, eam nullatenus esse à natura, sed unice à Deo; si dicatur, ut nos & hic & alibi difertis verbis scripsimus, *Spiritum S. donare facultatem & vires, quarum beneficio unice omnia fiunt*, nullus penitus controversiæ Synergistiæ, nedum Pelagianæ locus relinquitur, nisi quis præter necessitatem certamina movere, & alteri contra mentem & voluntatem errores tribuere velit, quod Deus à bona quaque mente clementer averruncet.

Exam. de
lib. art.

Benè Chemnitius: *Addatur, inquit, hominem ipsum velle & posse ad sentiri, recipere & agere in conversione, sive in rebus spiritualibus (eumque id) non ex suis naturalibus viribus, sive ex toto, sive ex parte habere: sed accipere ab illo, qui operatur velle & facere, ET NIHIL ERIT CONTROVERSIÆ.* His verbis Chemnitius totum negotium conficit.

Sess. 136.
c. 3. & 4.
art. 12.

Relicta autem posteriori significatione allata & tam veteribus, quam recentioribus orthodoxis in hac doctrina usurpata loquendi formulæ, ad priorem redeo, qua usitatissime *libertatem* seu *indifferentiam voluntatis* designat. Quò prioris sensu eam & olim adhibitam esse, & adhuc rectè hoc loco adhiberi ita patet. Qui gratiam determinantem seu necessitantem, quam vocant, statuunt, illi eò ipso talem operationem gratiæ tribuunt, ut eam posita nequaquam in hominis potestate seu libera voluntate maneat, converti vel non converti, sive (qui modus loquendi etiam scripturæ est) per gratiam collatam *se ad Deum convertere*, aut, si nolit, non convertere. Hæc etiamnum communis omnium Reformatorum sententia est: Ita enim Dordrechtana Synodus: *Regeneratio,* inquit,

Inquit, neutriquam fit per solam forinsecus insonantem doctrinam, moralem (vationem) (hactenus nos cum ipsis consentimus: nos enim itidem in nuda externa gratiæ oblatione, seu quæ per prædicationem verbi divini forinsecus tantum fit, excitatione, non sistimus; sed omnibus gratiam intrinsecus operantem necessariam judicamus, ut supra patuit. Coeterum quæ sequuntur, junctim sumta, sententiam Reformatis peculiarem exprimunt) *vel talem operandi rationem, ut post Dei (quoad ipsum) operationem, in homini potestate maneat regenerari, vel non regenerari, converti vel non converti; sed est planè supernaturalis, potentissima simul & gravissima, mirabilis, arcana & ineffabilis operatio, virtute sua secundum scripturam (quæ ab autore hujus operationis est inspirata) nec creatione, nec mortuorum resurrectione minor aut inferior, adeo ut omnes illi, in quorum cordibus admirando hoc modo Deus operatur, certo, infallibiliter & efficaciter regenerentur & actu credant.* Hactenus verba Dordrechtanorum, quibus, ut jamjam insinuavi, sententia continetur, quæ Reformatis peculiaris est, vel saltem cum iis tantum illis communis, qui gratiæ itidem vim ejusmodi determinantem & necessitantem tribuunt. Nostra ecclesia unà cum veteri & primitiva hic in diversam planè abit sententiam. Unde Hülsemannus rectè scribit: *Dogma hoc Calvinii à Dordracensibus damnatum (quod nempe post gratiam in homini potestate maneat converti & non converti) esse libri Concordiæ, Chemnitii concilii & omnium Lutheranorum.* Non nostrum autem tantum est, sed veteris p. 47. quoque ecclesiæ fuit, idque fatente ipso Calvino, qui veteribus ad istum modum contradicit: *Ac voluntatem movet Deus, inquit, non qualiter l. 2. Instis. MUL TIS SECULIS TRADITUM EST (ipso vid. Chrysostomi ævo, Christ. quem in sequentibus statim adduct) ut nostra sit electionis, motu Dei c. III. S. II. obtemperare, aut refragari.* Hæc ille.

Nos cum primitivæ ecclesiæ doctoribus gratiæ talem operationem tribuimus, ut post eam oblatam sive collatam (his terminis nunc indifferenter utimur, quod & aliis non est infrequens) in hominis potestate seu libera voluntate maneat, converti & non converti (ita vid. Dordrechtanis disertis verbis contradicimus) sive, per gratiam se convertere, & si nolit, non convertere. Ponderus sententiæ nostræ in istis scripturæ dictis collocamus: *Matth. XXIII, 37. Jerusalem, Jerusalem, qua trucidas Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui cogere filios tuos, quemadmodum gallina cogit pullos suos sub alas, & noluitis.* Joh. V. 37.

Hæc

Hæc dico, ut vos servemini, sed non vultis ad me venire, ut vitam habeatis.
 Act. VII. 51. *Duri cervicis & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui S. vos obicitis, sicut Patres vestri, ita & vos.* Hæc ita Scriptura. Positâ igitur gratiâ homo in virtute ejus se ad Deum convertere potest, potest etiam Spiritui S. resistere, ejus actiones impedire, seseq; non convertere. Res nimis manifesta est, & simplicioribus beneficio primi omnis humanæ cognitionis principii ita ob oculos poni potest. Quando homini verbum Dei prædicatur, & cum eo conjuncta specialis & intrinsecus operans Dei gratia eidem confertur; aut determinatur per illam homo ad unam partem contradictionis, ad hoc nim. ut se ad Deum convertat, aut non determinatur. Si determinatur, ergo gratia non vires tantum præbet, sed necessitatem insuper homini infert, ita quidem, ut Spiritui S. resistere, ejusq; gratiam excutere non possit. Quod Calvinianum est, Scripturæ & orthodoxæ nostrarum ecclesiarum sententiæ è diametro, ut ostensum fuit, contrarium. Unde Gerhardus: *Abst,* inquit, *ut dicamus, Spiritus S. gratiam in conversione, physica quadam actione determinare voluntatem ad volendum & eligendum bonum (hac enim ratione converterentur omnes immutabili necessitate, quos Spiritus S. converti vult) siquidem patitur Spiritus S. sibi resisti.* Et paulò post: *Renovat igitur Spiritus S., in conversione hominû voluntatem, ac donat ei novas vires, quibus instructa bonum actu velle & eligere possit (est unum oppositorum) interim ex adhærente natura pravitatis potest homo nolle bonum, (est alterum oppositorum) pot. si Spiritus S. opus impedire, ac proinde nequaquam dicendum, quòd in conversione physica quadam actione gratia determinet voluntatem ad volendum ac eligendum bonum.* Hæc præclare Gerhardus. Quòd si igitur homo per gratiam non determinatur ad unum oppositorum, ergo ad utrumq; *indifferenter* se habet. Indifferenter enim sese habere nihil aliud est, quam ad unum non esse determinatum, ut suprâ exposuimus. Idem aliter in hunc modum proponi potest. Positâ gratiâ, aut per eam sua homini libertas adimitur, aut non adimitur. Si adimitur, ergo necessariò convertitur; si non adimitur, ergo liberè, & ita, ut possit etiam non converti, convertitur. Unde, ut concludamus. rectissimè contra Reformatos dicitur: *Gratia Dei ita offertur seu confertur, ut eâ positâ in potestate hominis sit, per illam eâ, quæ ad conversionem & salutem necessaria sunt, præstare, i. e. Spiritus S. specialem & intrinsecus operantem gratiam per verbum ita impartitur,*

LL. Theol.
 Tom. II.
 p. 942.

titur, ut eâ posita homo liberè nihilominus & ita verbo divino credat,
& vitam suam in melius mutet, ut integrum ei sit, contrarium agere, &
in pristina malitia perseverare. Id quod, ut toties insinuatum fuit, ne-
cessariò adseverandum nobis est, ne necessitatem conversionis adstruentes,
penitus libertatem naturalem homini adimamus cum Manichæis, quorum
est hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium.

Audiamus jam classicos & optimæ notæ scriptores, qui ad signifi-
candam conversionis libertatem istum loquendi modum, **IN POTE-**
STATE EST, & similes adhibuerunt. Scriptor *de vocatione gentium*
ita loquitur: *Sicut, qui crediderunt, juvantur, ut in fide maneat, sic & qui* l. II.
nondum crediderunt juvantur, ut credant. Et quemadmodum illi in sua c. XXVI.
babeant potestate, ut exeant; ita & isti IN SUA HABENT POTESTA-
TE, NE VENIANT. Ista ille Quibus gemina prorsus sunt, quæ apud
S. Augustinum leguntur: *Ad illam cœnam, inquit, quam Dominus in* l. octogin-
evangelio dicit preparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt: tatrium
neq; illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaq; nec illi debent quæst.
sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt q. LXVIII.
venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam ut venirent vocati,
erat IN LIBERA VOLUNTATE. Nonnulli pro, **VOLUNTATE,** legunt,
POTESTATE. Utraq; lectio eundem sensum importat. Et hæc ibi Au-
gustinus. Meisnerus ex eo ista citat, quæ eandem sententiam continent.
Manet itaq; ad acquirendam salutem arbitrii libertas, i. e. rationali vo- *Apol. pro*
luntas, sed admonente prius Deo & invitante ad salutem, ut vel eligat, vel *consult.*
sequatur, vel agat occasione salutis, h. e. inspiratione Dei. Quod autem con- *catb. disp.*
sequatur, quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse *4. a. 28.*
liberè confitemur. Initium ergò salutis nostræ Deo misere habemus.
Ut acquiescamus salutifera inspirationi, nostræ potestatis est: Ut
adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini muneris: ut
non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinè nostræ est, & celestis pa-
riter adjutorii: ut labamur, potestati nostræ est & ignaviæ. Ista Meisne-
rus ex lib. de dogm. ecclesiast. Augustini. Idem sententiam quandam ex
alio ejusdem Augustini libro adducit, ubi illud, nostræ potestatis est, eo-
dem sensu per propria voluntatis est exponitur. Verba ita habent: In
omnibus misericordia Dei prevenit nos. Consentire sitem vocationi Dei,
vel ab ea dissentire, sicut dixi, PROPRIÆ VOLUNTATIS EST. Dicis, li-
brum de dogmatibus ecclesiasticis non esse S. Augustini. Respondeo.

F

Meisne-

Meisnerus id sine dubio non ignoravit, eum tamen cum Chemnitio & aliis S. Augustino tribuit, quia discrimen inter genuina & dubia veterum scripta ita strictè semper non observatur, præsertim, si dubia eandem cum genuinis veritatem catholicam propugnent, quod hic fieri existimo. Notant enim qui censuras veterum Scriptorum ediderunt, librum istum (quantum quidem de gratia & lib. arbitrio tractat) ex sententiis Concilii Arausicani & Romanorum Episcoporum, Innocentii, Zosimi, Coelestini, maximam etiam partem ex Augustini operibus compilatum esse. Nec id librum ipsum inspicienti obscurum esse potest. Quicquid autem ea de re sit, nos, discrimen librorum genuinorum & suppositiorum, vel etiam dubiorum accuratè, quantum fieri potest, observandum esse, non imus inficias. Imò propterea in lectione & citatione veterum, censuras, quas viri docti & in isto genere benè versati emisissent, diligenter adhibemus. Quod autem ad sententiam illam ex libro *de dogm. eccl.* à Meisnero adductam attinet, eandem veritatem eam continere dicimus, quam Augustinus in libro 83. *quæst.* & alibi etiam expressit. Hanc videlicet: *Initium salutis nostra Deo miserante habemus* (Deus gratiâ suâ nos præ venit, eamq; primùm omnium nobis offert ac imperitur) *ut acquiescimus salutiferæ inspirationi* (ut per collatam specialem & intrinsecus operantè gratiâ ea, quæ ad conversionem necessaria sunt, præstemus) **NOSTRÆ POTESTATIS EST** (in potestate seu libera voluntate nostra sitū est: possumus enim gratiam oblatam seu salutiferâ inspirationem illam contemnere, eiq; non acquiescere. Nostræ potestatis idem est, quod nostræ electionis, quâ voce Autor libri istius eodem in loco utitur.

Præterea pro eadem sententia, quod homo non *necessariò, sed liberè* convertatur, ab aliis alia veterum loca producuntur, ubi itidem vocabulo *potestatis* libertas hominis in conversione exponitur. Ex Irenæi l. 4. c. 71. ista proferuntur: *Vis à Deo non fit, sed bona scientia adest illi (homini) semper. Posait autem in homine POTESTATEM electionis. Abijcetes igitur bonum & quasi respicientes, merito omnes judicium incident Dei.* Ex S. Hilarij l. 1. de Trinitate sequentia adducuntur: *Essi filios Dei, non necessitatem; sed POTESTATEM dicit, quia propositio universalis Dei munere, non natura gignentium asseratur, sed voluntas premium consequatur.* Hæc veteres illi, quos ex modernis ita imitator venerandus Hornejus, ubi contra Semi-Pelagianos disputat. *Omnino consequens est, inquit, l. c. exigi fidem, ut tribuatur justitia & salus, quia utraq; hæc per fidem obtin-*
git:

git: nec tamen propterea fides à Deo non datur: ita enim ù eam largitur, ut
IN POTESTATE tamen (libera voluntate) nostra sit, (NB) per ipsius grati-
 am credere, aut eà etiam repudiata non credere. Hæc ille. Meisnerus ita ha- *Anthrop.*
 bet: In hominis potestate est, $\tau\delta$ repugnare, & $\tau\delta$ non repugnare. Notetur etiam *S. dec. 11.*
 hæc, voluntati *indifferentiam* ad utrumq; oppositorum (convertere se & *disp. 1.*
 non convertere) non ante, sed post acceptam à DEO gratiam tri-
 bui. Id omnia veterum dicta loquuntur, quæ in eam sententiam ha-
 ctenus adscripti. Naturale equidem voluntati est, indifferenter velle, h. e.
 velle & non velle, velle hoc, & velle illud, quemadmodum aliàs volun-
 tati velle, intellectui intelligere proprium ac naturale est. Sed velle, &
 indifferenter quidem velle, intelligere item bonum supernaturale, vo-
 luntati & intellectui non competit, nisi postquam utraq; potentia per
 specialem Spiritus S. gratiam jam preparata est, ut toties cum S. Augu-
 stino loquuti sumus. Audiamus semel adhuc D. Hülsemannum in *de facult.*
Breviario suo Theologico doctrinam nostram non male ita illustrantem: *hom. nat.*
Circa nullas actiones bonas, sive naturaliter, seu civiliter, sive moraliter, sive c. 6. 9. 10.
Theologicæ tales, ordinariè sic determinatur voluntas hominis à Deo: quin
possit à influentiâ causæ primæ, posita etiam applicatione secundarum ad agen-
dum, possit tamen in sensu diviso, i. e. actu secundo nondum existente, agere
vel non agere, sic vel aliter agere pro diversitate objectorum, circa quæ po-
tentia agendi homini vel innata vel donata est. Neq; enim ista potentia ad
quævis objecta parem habet indifferentiam. Hæc ille. Claudio hanc quæsti-
 onem isto monito. Communis ecclesiarum nostrarum fides & doctri-
 na, quam hætenus explicavimus, constanter retinenda, & acriter con-
 tra adversarios veritatis defendenda est, ne error de gratia derminante seu
 necessitate subrepat, qui absolutum decretum peperit, adeoq; omnium,
 qui illud consequuntur, errorum fons & origo extitit, ut jam alibi obser-
 vavimus.

QUÆSTIO XII.

Quomodo gratia Dei offeratur, &
 oblata apprehendatur?

Vocabulum *gratiæ* (quantum ad præsens institutum attinet) du-
 pliciter in Scriptura & apud doctores accipitur. 1. pro benevolentia Dei
 & gratuito ejus erga nos favore. 2. pro donis, quæ Deus ex gratuito illo
 favore nobis impartitur. Priori sensu passim in V. & N. T. capitur, cum-

primis v. iis in locis, ubi de justificatione agitur. Rom. III. 24. *justificamur gratis ejus gratiâ per redemptionem factam in J. C.* Et ita alibi passim. Posteriori significato in his & aliis similibus locis usurpatur, Rom. XII. 6. *habentes diversa dona pro gratia, quæ nobis data est, sive prophetiam &c.* 1. Corinth. XV. 10. *Gratia ejus (Dei) quæ in me est, non fuit inanis; sed amplius, quàm illi omnes, laboravi.* Ita ibi. Notandum autem, *dona*, quæ Deus gratis nobis elargitur (unde gratiæ nomine veniunt) in duplici esse differentia. (Liceat nunc docendi, & eò magis perspicuè omnia proponendi gratiâ hæc ita efferre.) Quædam quasi *extra nos* posita sunt, vel certè propriè & strictè loquendo nobis non insunt, nec formaliter, quod dicitur, in hærent. Huc pertinent meritum Christi, justificatio, remissio peccatorum, adoptio & alia, quæ evangelium nobis offert, Dei beneficia, ipsa etiam vita æterna, quæ proinde Rom. VI. ult. *χάρισμα τῆς Θεῶν, donum Dei*, & 1. Pet. I. 13. *χάρις*, h. e. *gratia* dicitur. Alia autem Dei dona propriè *in nobis* sunt, & formaliter nobis in hærent. Quòd cum primis referenda est specialis & intrinseca Spiritus S. gratia, cujus beneficio in spiritualibus, h. e. (ut *l. c. p. 210.* benè interpretatur Chemnitius) in iis, *quæ ad conversionem hominis, fidem & pietatem pertinent*, unicè omnia præstamus, ut & alibi, & suprâ aliquoties contra Pelagianos, Semi-Pelagianos, & omnes eos adstruimus, qui viribus humanis vel tantillum tribuunt.

Cæterùm istis ad eum modum præmissis, propositæ quæstioni ita satisfacio. Quando *gratia Dei* nobis offerri dicitur, & per eam ipsa Dei benivolentia ac favor, nec non illa ejus beneficia, quæ quasi *extra nos* sunt, vel certè extrinsecus per verbum nobis offeruntur, remissio peccatorum videlicet, adoptio, vita æterna & similia alia intelliguntur, non aliter ista, quàm per fidem à nobis apprehenduntur. Fides autem à speciali & intrinsecus operante Spiritus S. gratia unicè dependet. Nullus igitur hîc in apprehendenda Dei gratia locus naturalibus lib. arbitrij viribus relinquitur. Quòd si quis gratiam Dei ad istum modum acceptam & oblatam nativis viribus apprehendi posse statuit, eum oportet ipsam fidem, vel totam cum Pelagianis, vel saltem quoad initium ejus cum Semi-Pelagianis, vel deniq; quoad progressum cù Synergistarum cohorta iisdem hominis sibi relictis viribus acceptam ferre. Synergistæ nim., ut F. C. habet, docuerunt: *si Spiritus S. initium faciat, & nos per evangelium vocet, gratiam suam* (ut scias, quid per gratiam intelligatur, additur:) *remissionem*

missionem peccatorum & aeternam salutem nobis offerat, tunc liberum arbitrium propriis suis naturalibus viribus sese ad gratiam preparare & applicare, eam apprehendere, amplecti (h. e.) evangelio credere, & quidem in continuatione & conservatione hujus operis propriis suis viribus unâ cum Spiritu S. cooperari posse. Hæc F. C., quæ alibi eodem modo rem expedit, & gratiam oblatam apprehendere nihil aliud esse docet, quàm credere seu verbo Dei assentiri: *Quando videlicet verbum Dei prædicatur, inquit, & Dei gratia nobis offertur, hinc queritur, an homo ad hanc Dei gratiam apprehendam sese applicare, eam amplecti, & verbo Dei assentiri possit.* Et iterum: *Conversio hominû talis est immutatio, per operationem Spiritus S. in hominû intellectu, voluntate & corde, qua homo (operatione vid. Spiritus S.) potest oblatam gratiam apprehendere.* Hæc in eam sententiam F. C. Et hæc de gratia pro favore Dei & beneficiis ejus, quasi extra nos positis, accepta, quæ non nisi per fidem, ut dictum fuit, apprehenditur. Porro si per gratiam ista Dei dona intelligas, quæ propriè & strictè loquendo *in nobis* sunt, & formaliter nobis inhærent, cum primis autem specialem & intrinsecam gratiam, seu novam Spiritus S. vires, quarum beneficio in spiritualibus omnia peragimus, certum est, hominem gratiam istam, si propriè loqui velis, non aliquo actu, nec certis viribus, imò nullo modo & medio *active* apprehendere, sed in ea admittenda habere se merè *passive*. Liberè equidem homo gratiâ oblatâ sive collatâ utitur, sed dum ea ipsi confertur, nihil agit, & merè passivè se habet, qua de re pluribus jamjam agendum erit. Nunc ad illud attendi volo, quòd notanter dixerim, *gratiâ oblatâ sive collatâ*: duo enim illa eòdem nonnunquam recidunt, & gratia, quam Deus homini confert ac impertitur, idèò, dum *confertur*, *offerri* dicitur, quia quamvis intrinsecus in animo hominis operetur, & ipsas animi potentias viribus supernaturalibus instruat, per prædicationem verbi tamen extrinsecus advenit. Quo sensu formula illa loquendi apud Orthodoxos occurrit, ut alibi jam ostensum est.

QUÆSTIO XIII.

Quomodo illa regula: Homo in conversione se habet merè passivè; orthodoxè sit interpretanda?

Exam. l. 6.

p. 227.

Benè monet Chemnitius, regulam seu phrasin illam ita compara-
tam esse, ut eà facilè quis offendi queat, dum existimare possit, *quasi*
sensus sit, Spiritum S. ita operari conversionem, ut in voluntate, quæ renovari
cœpit, nulli omninò sequantur novi motus; sed planè sit otiosa & iners, &
tantum brutà agitatione percellatur & protrudatur. Hæc ille. Nos ut ad
quæstionem propositam distinctè respondeamus, ambiguitatem, quæ
in locutione ista, *merè passivè se habere*, latet, & omnem hic parit difficul-
tatem, evolvemus. Primò igitur *passivè se habere* nihil aliud est, quàm
pati, & activè se habere aliud nihil, præterquam agere, sive actiones
quasdam exercere. Quæ ut propria & accurata, ita communis quoq;
est phraseos illius acceptio. Deinde *purè passivè se habere*, idem nonnul-
lis esse videtur, atq; *nihil ex propriis & naturalibus viribus agere.* Quæ po-
sterior significatio manifestam ἀκυρολογίαν continet: ad istum enim
modum non sine aliqua absurditate, & contra communem Theolo-
gorum sententiam adseverandum erit, hominem conversum in tota vi-
ta sua & omnibus operibus pietatis, quæ peragit, merè passivè se habere:
nihil quicquam enim boni in ordine ad vitam æternam in omni vita
sua ex propriis viribus agit. Quòd si priori sensu loquaris, certum & apud
orthodoxos extra aleam controversiæ positum est, hominem in ipsa con-
versione *activè se habere*, h. e. agere aliquid, ut in initio conversionis,
dum gratiam Spiritus S. recipit, merè passivè se habeat. Audiamus The-
ologorum ἀκεβέων Chemnitium nostrum, qui, ubi quæstionem
illam, *an voluntas in conversione habeat se merè passivè*, ex professo tractat,
ita loquitur. *Quando gratia præveniens, i. e. prima initia fidei & con-*
versionis homini dantur, statim incipit lucta carnis & Spiritus, & manife-
stum est, illam luctam non fieri sine motu nostre voluntatis. Et paulò post:
Quæ ergò de gratia præveniente, præparante & operante traduntur, habent
hunc sensum, quòd non nostre partes priores sint in conversione; sed quòd
Deus per verbum & afflatum divinum nos præveniat, movens & impellens
voluntatem. Post hunc autem motum voluntatù divinitus factum voluntas
humana non habet se purè passivè, sed mota & adjuta à Spiritu S. non re-
pugnat, sed assentitur, & fit ὁμοῦς & Dei. Hæc ibi. In Examine idem
docet: *Conversio, inquit, non est brutum aliquid in homine, sine motu &*
actione aliqua mentis, voluntatis & cordis; sed quia conversio est motus quidam
& mutatio in mente, voluntate, corde &c. necessariùm est, ut in vera conver-
sione fiant, & sint motus aliqui, ut notitia & cogitatio de lege & evangelio,
deside-

LL. Comm

l. 6. p. 490.

l. 6. p. 210.

& 211.

*desiderium, voluntas & conatus assentiendi: unde oritur lucta cum securitate, dissidentia & contumacia veteris hominis. Et in summa, in conversione oportet fieri & esse motus aliquos & actiones, quibus incipiat fieri applicatio quaedam mentis intelligendo, voluntatis assentiendo, desiderando, volendo &c. Aliter enim faber utitur instrumento inanimato; (si ad eum modum Deus intellectu & voluntate hominis uteretur, hautquaquam liberè, sed necessariò ille converteretur) aliter verò Spiritus S. operatur conversionem in mente, voluntate & corde. Facit enim ut velimus & possimus intelligere, cogitare, desiderare, assentiri, accipere, operari &c. h. e. Spiritus S. dat vires credendi & benè operandi: ipse autem non credit, pœnitentiam agit & benè operatur, sed nos beneficiò virium ab ipso concessarum actiones illas exercemus. Scriptura disertè affirmat, ait iterum Chemnitius, renatos (qui per gratiam operantem & præparantem renovari cœperunt, & ad finem usq; vitæ renovantur) in rebus spiritualibus agnosce-
 re, sive, credere, assentiri, desiderare, vel conari, luctari &c. quæ extra controversiam sunt actiones mentis & voluntatis. Hactenus Chemnitius. Subij-
 cio verba F. C. quæ ita habent: Hoc certissimum est, in vera conversione immutationem, renovationem & motum fieri oportere in hominis intellectu, voluntate & corde. Addo, si opus est, Dietericum, qui in Institutionibus Catechetis (liber in omnium tyronum & elementariorum manibus versatur) ita ait. In tertio statu (homo) habet se activè, h. e. in ipso actu conversionis voluntas non est ociosa. Hæc etiã ille. Patet autem ex his, si propriè & accuratè loqui, nec quicquam contra communem Theologorum sententiam statuere velimus, dici non posse, hominem non tantum in initio, sed etiã in progressu & fine conversionis suæ ad Deum (notanter de conversione, ut homo se ad Deum convertit, loquor de conversione enim, ut Deus hominem convertit, illud rectè dici posse, paulò post ostendemus) habere se merè passivè, h. e. nihil omninò agere, utut ex propriis & naturalibus viribus nihil quicquam, vel in initio, vel in progressu, vel in fine operetur aut cooperetur, ut suprà ex F. C. docuimus.*

p. 675.

de lib. arb.
p. m. 466.

QUESTIO XIV.

Quotuplici sensu quis conversus dicatur, & quid de discrimine inter conversiones

versionem primam & secundam sentiendum sit?

Anthrop.
disput.
22. q. 3.

Scriptura ut unam tantum agnoscit conversionem, ita discrimen inter primam & secundam ignorat. Juxta eandem si conversionem in tota latitudine sua sumas, ille conversus, renatus item & justificatus dicitur, qui, postquam sufficienti internâ gratiâ instructus fuit, per illam ea, quæ ad conversionem necessaria sunt, præstitit, atq; è statu iræ in gratiæ statum translatus est. Unde Meisnerus: *Conversio, inquit, est mutatio hominû non renati, dum à peccato se convertit ad Deum, atq; ita è statu iræ transfertur in statum gratiæ, quæ translatio quamprimum facta est, & quamdiu durat, non dicitur homo amplius non conversus vel convertendus, sed jam conversus.* Hæc ex mente Scripturæ Meisnerus. Tria igitur ad completam, seu in tota latitudine sua sumtam conversionem concurrunt. Primò Deus hominem gratiâ sua prævenit, novas in eo vires operatur, & ita facultates ejus, intellectum & voluntatem, immutat ac præparat. Huc respiciunt Augustinus, Chemnitius, Gerhardus, alii, quando dicunt, quòd Deus hominem convertat, *donando novas vires*, ut paulò post videbimus. Deinde homo virtute collateralium virium à peccato se ad Deum convertit, h. e. pœnitentiam agit & credit evangelio. Quod quando fit, Deus *deniq;* pœnitentem & credentem è statu iræ in statum gratiæ translocat, & eo ipso tota conversio hominis, ut Meisnerus rectè notat, absolvitur. Quia autem primum à secundo & tertio separari potest, (Deus enim interdum *omnia facit vineæ suæ*, nec illa tamen *uvas*, sed *labruscus* profert, ut paulò post ostendemus) hinc fit, ut apud ecclesiasticos scriptores ille etiam renatus & conversus nonnunquam dicatur, cujus intellectus per prædicationem verbi & gratiam cum ea conjunctam quadantenus illuminatus, cujus voluntas item per gratiam à Domino præparata, uno verbo, qui per verbum viribus supernaturahbus sufficienter ad hoc instructus est, ut se ad Deum convertere possit, utut hæcenus à malo ad bonum se toto animo nondum converterit. Hoc sensu F. C. hominem, in quo *Spiritus S. opus regenerationis & renovationis primum inchoavit, JAM CONVERSUM* appellat. Ad eundem modum Chemnitius: *Vider lector, inquit, Augustinum loqui non de voluntate non renata sed quæ jam conversa est, & cepit fieri bona.* Ubi disertis verbis voluntatē jam conversam appellat eam, quæ *COEPIT fieri bona*, sive (ut antea

Exam l. e.
p. 221.

antea modo haud dissimili, sed paulò expressius & magis distinctè locutus fuerat) quam Spiritus S. sanare cepit, accensa aliqua scintilla effecit & facultati spirituali. Hæc ille. Eodem sensu Augustinus mentem hominis passim illuminatam, voluntatem sanatam, & arbitrium hominis liberatum vocat. Quòd si illi, qui distinctione superius allatâ utuntur, eum secundum primam conversionem conversum dicunt, quem F. C., Chemnitius & alii posteriore eoque ecclesiastico magis, quàm Scripturæ sensu conversum appellant, mentem quidem orthodoxam eatenus retinent, sed novo & classicis scriptoribus non ita usitato, minùs etiam commodo loquendi modo utuntur. Unde distinctio illa ut novitatis, ita à *νεωγενεσιος* jure meritoque notari potest, præsertim si quis omnia ad vivum refecare velit, ut nunc fit. Nos ex Scripturis aliud in conversione discrimen ostendemus, observatu utile, quin summè necessarium.

Scriptura duo passim inculcat, & quòd Deus hominem convertat, & quòd homo se convertat ad Deum. Sic non solum scriptum est: Jer. XXXI. 18. *Converte me, ut convertar, quia tu es Dominus, Deus meus.* & Thren. V. 21. *Converte nos Domine ad te, ut convertamur:* Sed vice versa etiam id legitur: Zach. I. 3. *Convertimini ad me, dictum Domini exercituum, & convertar ad vos, ait Dominus exercituum.* Joël. II. 12. *Dictum Domini, convertimini ad me ex toto animo vestro, & jejunio, & fletu, & planctu, laterate corda vestra, ac non vestes vestras, ac convertimini ad Dominum Deum vestrum.* Et Jer. II. 38. *Quamvis scortata sis cum amatoribus multis, tamen revertere ad me.* Similiter non tantum Ezech. XI. 19. & XXXVI. 26. Scriptum est: *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri, & amovebo cor lapideum è carne vestra, indans vobis cor carneum.* Psal. LI. 12. *Cor novum crea mihi Deus, & spiritum firmum renova intra me;* & Deut. XXIX. 2. *Vos vidisti omnia, quæ fecit Dominus ante oculos vestros in terra Egypti. Sed nondum dederat vobis Dominus cor ad cognoscendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum usque in diem hunc;* Sed vicissim Ezech. XLIX. 31. sic etiam dicitur: *Abijcite à vobis omnes defectiones vestras, quibus defecistis, & facite vobis cor novum & spiritum novum: nam quare moveremini è domus Israël? Cui pariant illa Esa. I. 16. *Lavate vos, purificate vos, amovete malignitatem adionum vestrarum ex adverso oculorum meorum, desinite male facere, discite benefacere, quarite jus, beate oppressum, jus dicite pupillo, suscipite causam vidua, &c.* Col. III. 8. *deponite hæc omnia, iram, excandescentiam, mali-**

piam, maledicentiam; & rursus: Induite novum hominem, qui renovatus in agnitione, congruentem imagini ejus, qui condidit eum. Hæc ita Scriptura. Juxta cujus expressa proinde verba in conversione discrimen quoddam notari potest, juxta quod illa dupliciter spectetur. Uno modo, ut *Deus hominem*, altero, ut *ille se ad Deum* convertit.

- Quæris, quid inter duo ista intersit? paucis dicam. Deus hominem convertit, dum vires & facultatem omnem donat, quâ & inchoatur, & perficitur conversio. Homo se convertit ad Deum, dum per facultatem istam divinitus collatam relictâ infidelitate credit, & depositâ impietate ac injustitiâ piam ac justam vitam vivere incipit. Hinc *per fidem*
- l. c. nos convertere dicimur, nostraq; conversio in Corpore doctrinæ Prutenico inter alia in eo consistere adseritur, quòd *à peccato averti ad Deum*
- Tom. I. de nos convertimus. Hunnius alibi: *Conversio*, inquit, *tota in obsequio Dei*
- lib. arb. (hoc ad voluntatem maximè) & *reliâ cognitione doctrinæ Christi* (hoc
- p. 492. ad intellectum pertinet) *vertitur*. F. C. dicit, * quòd homines *penitentia*
- * p. 317. & *fide rursus ad ipsum* (Deum) *se convertant*. Ita ibi. S. Augustinus ad prius distinctionis membrum respicit, cùm, quomodo Deus cor lapideum auferat & faciat, ut in præceptis ejus ambulemus, ita ostendit: *de grat. & Ille*, inquit, *facit, ut faciamus*, PRÆBENDO VOLUNTATI VIRES *efficacissimas, qui dixit: faciam ut faciatis. Quid hoc aliud est, nisi; auferam à*
- lib. arb. c. 16. *vobis cor lapideum, unde non faciebatis: & dabo carneum, unde faciatis.*
- l. c. p. 946. Hactenus Augustinus. Cujus hanc esse genuinam sententiam, Gerhardus etiam ex multis ejus locis observavit. Augustino, F. C. & Chemnitius ita succinunt: *Spiritus S.*, inquit liber Concordiæ, *per verbum prædicatum & auditum corda illuminat & CONVERTIT* (dum id præstat.)
- p. 671. *ut homines verbo Dei credere & adserviri possint.* Disertiùs adhuc Chemnitius rem explicat, ita scribens: *GRATIA mentem illuminat, voluntatem CONVERTIT & immutat, PRÆBENDO NOVAM EFFICACIAM & novas facultates: ut ex ignorantibus fiant intelligentes, ex nolentibus fiant volentes: atq; ita in conversione mens & voluntas, id quod ex viribus naturalibus antea non poterat, incipiunt jam ex dono, & per operationem spiritus renovationis, habere motus & actiones spirituales.* Idem alibi ita
- l. c. p. 211. loquitur: *Aliter faber utitur instrumento inanimato, aliter verò Spiritus S. operatur conversionem in mente, voluntate & corde.* Quomodo operetur subdit: *Facit enim ut velimus & possimus intelligere, cogitare, desiderare, assentiri, accipere, operari &c.* Hactenus etiam Chemnitius. Addo
- Gere

Gerhardum, qui per auxilium gratiæ in conversione talem voluntatû im-
mucationem ac renovationem intelligendam dicit, quâ nova ad volendum
& consentiendum vires homini tribuantur. Ista Gerhardus. l. 6. p. 996

Quibus omnibus discrimen illud satis clarè ob oculos positum esse
arbitror. Nunc ad utilitatem, quin summam ejus necessitatem demon-
strandam pergo. Illa inde elucet, quòd distinctio ista ad multa rectius in-
telligenda, nec non ad sententias Doctorum, quæ prima fronte sibi invi-
cem contrariari videntur, nullo negotio conciliandas conducit, quod
ita patet. Dicunt nonnulli, ut paulò antè insinuavimus, hominem &
in initio, & in progressu, & in fine conversionis merè passivè se habere.
Aliis id absurdum videtur. Utraq; autem sententia consistere potest,
modò adhibitâ distinctione illâ, quam ex Scripturis equimus, & illorum
& istorum mentem rectè explices. Si nimirum de conversione loqua-
ris, ut Deus nos convertit, certum est, ibi hominem semper merè pas-
sivè se habere: dum enim Deus prævenit nos, dum operatur in nobis
novas vires, dum cor lapideum auferit, & carneum donat, homo sem-
per est subjectum, quod movetur & gratiam recipit, atq; ad istum mo-
dum semper merè passivè se habet. Quòd si autem de conversione, ut
homo se ad Deum convertit, sermonem instituas, tantùm de initio ve-
rum est, hominem in eo merè passivè se habere: in progressu enim,
quamprimum per vires desuper concessas credit, cum carne luctatur, à
peccato averfus ad Deum se convertit, agit omninò aliquid, adeoq; acti-
vè se habet. Benè Dietericus: *In ipso actu conversionis*, inquit, *voluntas Inst. Ca-*
non est otiosa. Ethæc est communis omnium Theologorum sententia *tech. de*
Dicis, Deum non in initio saltem, sed & in progressu ac fine conversionis lib. 2. arb.
omnia solum agere. Respondeo: Si de viribus intelligas, verum est:
ipse enim solus largitur vim & facultatem, cujus beneficio conversio
hominis ad ipsum & inchoatur & perficitur, quin cujus virtute omnia
in toto salutis negotio peraguntur. Coeterùm si ita dicas, Deum omnia
solum operari, ut hominem in conversione sua ad Deum nihil penitus
(etiam per gratiæ vires) agere putes, falsum est: nam in ipso actu ejus vo-
luntas non est otiosa, ut jamjam dictum fuit. Breviter. In conversione,
ut Deus nos convertit, ita ille solus omnia peragit, ut juxta S. Augustini
verba *in nobis sine nobis* operetur; in conversione autem spectata, ut nos
ad ipsum convertimus, non operatur in nobis sine nobis, sed nos ei co-
operamur, h. e. per gratiam ejus operamur, ut supra id expositum fuit.

Hinc illud etiam diluitur, quod multas profectò hic parit difficultates, & in causa est, ut unū idemq; sentientes sibi invicem diversum statuere videantur, eò, quòd sese de diversis diversimodè loquentes non intelligunt. Quod mihi volo, hoc est. Communis sententia habet, non nisi hominem conversum in spiritualibus aliquid operari aut cooperari posse. Id nunquam non veritatem suam obtinet, si ad conversionem, ut Deus hominem convertit, respicias: nisi enim homo gratiã divinã præventus & præparatus, uno verbo, sufficientibus viribus supernaturalibus instructus fuerit, nihil quicquam boni, ut oportet, operari, aut gratiã divinã cooperari poterit. Semper hic cum Augustino voluntas à Domino jam tum præparata supponenda est. Cœterum si animum præcisè ad conversionem hominis ad Deum attendas, minùs rectè affirmatur, non nisi (eo nim. modo) conversum aliquid boni operari aut cooperari posse: qui enim per verbum sufficientem gratiam internam nactus est, & hætenus à Deo immutatus (ex non habente gratiam, habens gratiam, ut ita loqui liceat, factus & eatenus conversus) est, potest omninò aliquid boni operari, & per acceptam gratiam actûs conversionis, in quibus illa consistit, producere, ut ut id nondum fecerit, h. e. toto animo se ab incredulitate ad fidem, & ab impietate ad pietatis amorem converterit, insuper propter studium in peccatis perseverandi facere, id ipsum fortassis nolit. Multi profectò talento gratiã prævenientis, operantis & præparantis negotiari detrectant, adeoq; juxta verba Apostoli in vanum gratiam Dei accipiunt, ejusq; consilium (ut Judæi Luc. VII. 29.) adversus semetipsos adspernantur. Ad multos Deus se convertit suã gratiã, qui se ad ipsum animò suò per gratiam collatam non convertunt, quin convertere nolunt, & proinde plenè nunquam convertuntur, ut quotidiana experientia huic rei testimonium luculentissimum perhibet. Hinc Deus apud Prophetam: *Vinea est dilectio meo*, inquit, *in colle loco pingui. Et sepivit eam, & lapides collegit ex ea, & plantavit eam plantis vitũ optimis, & edificavit turrim in medio ejus, & etiam torcular excidit in ea: & expectavit, ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Hæc ibi. Ista igitur ita se habent.

Es. V. 1.
& 2.

Dicis distinctionem multis hætenus illustratam novam esse, & apud alios orthodoxos non reperiri. Respondeo. Si rem ipsam spectes, adeoq; materialiter eam sumas, nova non est: E. C. enim, Augustinus, Chemnitius, Hunnius & Gerhardus, ut vidimus, diversimodè de conversione loquuntur.

loquuntur. Ut *Deus hominem* convertit, eam in nova virium supernaturalium collatione; ut autem *homo se ad Deum* convertit, eandem in fide & poenitentia consistere docent. Ex modernis non nemo non male inlinuat, conversionem nunc pro actu Dei trahentis, nunc pro actu hominis sequentis sumi. Quod ad discrimen illud formaliter & quoad ipsos terminos spectatum attinet, ita illud, dum difficillimæ huic doctrinæ intentus fui, ipsa clarissima Scripturæ verba ultrò mihi porrexisset & subministrasse visa sunt. Nec quenquã adeò absurdum esse arbitror, ut, si quid, quod, quã rem, vetus & orthodoxum, quã locutionẽ verò novum est, præsertim in gravissimarũ controversiarum explicacione adferatur, id omne repudiandũ esse autemet. Eadem doctrina fundamentalis omnibus, qui communẽ fidem & doctrinam amplexantur ac profitentur, defendenda est, nec quicquam ibi innovandum. Modos autem loquendi & explicandi ita quisq; adhibet, prout ab adminiculis bonæ doctrinæ magis vel minus instructus est, ut & rectiùs rem intelligat, & majori perspicuitate ac dexteritate eam proponere possit. Quòd si ad mentem & linguam indoctorum hominum loquendum semper & scribendum esset, magnis sæpe numero viris (quibus me hautquaquam ad numero) talenta sua subtus terram fodienda & recondenda forent. Audiamus S. Augustinum hac de re: *Alius*, inquit ille, *de doctrinã*, quos vocat, atq; *optimis regulæ ca. l. l. cont. thelica defensoribus* verba faciens, *aliò de una re melius aliquid dicit & Jul. Pelag. verius*. Quid quòd orthodoxi doctores (in iis præsertim, quæ manifestissimam veritatem habent) illas nonnunquam loquendi formulas adhibent, quæ in libris symbolicis rejectæ sunt. F. C. in hac doctrina vetat p. 680. dicere, *voluntatem in conversione non esse ociosam*: nihilominus tamen Dietericus paulò antè dixit: *in ipso conversionis actu voluntas non est ociosa*; quemadmodum Chemnitius, Gerhardus & alii passim etiam loquuntur. De modis igitur loquendi, modò non prorsum insoliti sint, & nova dogmata manifestò contineant, facilis potest & debet in irratio. Illi autem planè audiendi non sunt, qui, ut totidem verbis, quin totidem syllabis, literis & apicibus sibi omnia ex aliorum scriptis annumerentur, postulant. Ad eum modum aliquid conscribere, exscribere & aliis sua suffurari fuerit. Quòd si puer in trivio totam orationis seriem ex Tullio fortè describeret, eamq; ut proprio Marte confectam magistro exhiberet, poenam pueris infligi solitam non effugeret.

QUÆSTIO XV.

Num omnes homines, si velint, possint se convertere?

Egidius Hunnius, Theologus quondam in Academia Wittebergenſi longè celeberrimus, cui eccleſiæ noſtræ doctrinam de prædeſtinatione primævæ ſimplicitati ſuæ reſtitutam debent, ex Scripturis duplex
l. c. velle eruit, alterum *pedagogicum*, ut vocat, quod circa externam miniſterij obedientiam occupatur, atq; etiamnum in noſtrarum virium poteſtate ſitum eſt. Alterum *internum*, deſcriptum obedientiâ fidei & aſſenſione cordis. Si ad prius velle reſpicias, non tantùm de iis, qui verbum Dei audiunt & meditantur, nec non per illud ſufficientem gratiam converſionis accipiunt, ſed & de aliis, qui auditum verbi divini contempſunt (v. g. Judæis, qui inter Chriſtianos vivunt) verum eſt, quòd omnes, ſi velint, poſſint externa ſaltem converſionis adminicula adhibere: *poteſt enim homo ſuarum virium arbitrio ad ea ſe conferre loca, quibus vox ſonat verbi divini, poteſt ſermonem illum vitæ æternæ audire, vel aures obſtrudere*, ut meritò ſuò jamjam laudatus Hunnius rectiſſimè inquit. Cæterùm iſtud non fuerit ſe convertere, ſed potiùs aliquid, quod converſio prærequirit, præſtare. In præſentis quæſtionis ſolutione ad eos maximè reſpiciendum arbitramur, qui cœtus eccleſiaſticos frequentant, verbum ſalutis audiunt, perq; illud tanquam efficaciæ Dei organon & perpetuum gratiæ divini vehiculum ſupernaturales vires ad converſionem neceſſarias & ſufficientes conſequentur. Hi quia gratiâ moti jam tum adjuti & excitati ſunt, per eam ſe ad Deum convertere, h. e. verbo divino immotum ad ſenſum præbere, & impietati ac injuſtiæ nuntium mittere poſſunt, dummodò velint. Additur, *ſi velint*, duabus præcipuè de cauſis. *Primò*, quia homo haudquaquam *coactè* ſive invitus, ſed ſponte animi ac *volens* convertitur: gratia enim ex nolente volentem facit. Unde nemo inter ipſos Reformatos, utut aliàs veram converſionis libertatem è medio tollant, adeò crasſus, adeò abſurdus eſt, ut hominem ad converſionem invitum adigi arbitretur. Minimè omnium autem noſtratum Theologorum quiſquam hoc ſtatuit. Adducam nunc unum tantùm, ſed ex præcipuis unum, Gerhardum puta, cujus iſta ſunt: *Neg; enim vim quandam coactivam inferit Spiritus S. hominibus convertendis* (loquimur de modo or;

l. c. p. 997.

do ordinario) sed ex volentibus facit volentes, b. e. illi, qui per naturam
volunt, & non possunt nisi nolle, dat facultatem, ut per gratiam possint velle,
& verè velint. Hæc ille. Idem alibi: Nemo nostrum negat, inquit, volun-
tatem credere, adeoq; non nisi volentibus nobis nos credere; sed Deus est, qui
facit, ut velimus. Facit autem novis ad bonum viribus donando, quam esse
Augustini genuinam sententiam, patet ex dictis omnibus superius allatis.
Hæc ille. Homo igitur sponte animi se ad Deum convertit, sive, ut S.
Augustinus supra dicebat, propria voluntate. Quod non ita est intelli-
gendum, ac si homo propriis voluntatis suæ viribus se convertat, (sup-
ponitur enim voluntas præparata à Domino,) sed quòd volens conver-
tatur, ut toties jam dictum fuit.

Deinde & cum primis eam ob causam dicitur, quòd homines per
gratiam se ad Deum convertere, & mandata ejus observare possunt, si
velint, quia in potestate eorum situm est, id ipsum nolle, sese non conver-
tere, & mandata divina negligere. Uno verbo. Ad exprimendam homi-
nis libertatem non hic saltem, sed & in quotidianis sermonibus vox illa
adhibetur. Ita Princeps plura & majora beneficia in hunc conferre pot-
est, quàm in istum, huic lautius stipendium assignare, quàm isti, si velit.
Dicitur, si velit, quia in libera voluntate ejus situm est facere id ipsum &
non facere. Res nimis clara est, ut imprudens sim, si in ea diutius occu-
per. Addam tamen quædam veterum loca, & hostium quidem Pelagian-
næ hæreseos, qui itidem ad istum modum locuti sunt. Augustinus ita l. 1. de
habet: Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit; Gen. cont.
sed para corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilibus rerum & tem. Man. 6. 3.
poralium se ad ejus præcepta servanda conferunt, quòd OMNES HO-
MINES POSSUNT, SI VELINT: quis illud omnem hominem il-
luminat venientem in hunc mundum. Hæc Augustinus. Scripsit equidem
ista ante exortum cum Pelagio certamen, quò tempore securius nonnun-
quam locutus est. Cæterùm quòd Pelagianis nequaquam patrocinen-
tur, ipse postmodum l. 1. Retract. c. X adnotavit Verba ita habent: Non
existiment novi hæretici Pelagiani, (istud) secundum eos esse dictum. Verum
est enim omnino, omnes homines hoc posse, si velint, sed præparatur voluntas
Domino. Hæc iterum ille. Alibi in eandem sententiam ita loquitur: No-
luit Esau & non cucurrit. Sed & SIVOLUISSET & cucurrisset, Dei
adjutorio pervenisset; qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vo-
catione contemptus à reprobis fieret. Et rursus alio in loco: Certum est, nos
man-

quæst. II.
ad Simpli-
cianum.

de grat. & mandata servare, SI VOLUIMUS, sed quia preparatur voluntas à Do-
 lib. arb. mino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volen-
 c. 16. do faciamus. Eòdem pertinent illa S. Ambrosi verba: Vult Deus omnes
 * In ep. salvos fieri, sed si accedant ad eum. Non enim sic vult, ut nolentes serventur;
 Paul. Sed vult illos servari, SI & ipsi VELINT. Scriptor porro de vocatio-
 ne gentium eandem phrasin & adhibet, & orthodoxâ interpretatione
 illustrat, Qua de re alibi in hunc modum scripsimus: Autor de vocations
 gentium accuratè distinguit, & omnem, si quis hærere hic potest, scrupulum
 eximit. Si videlicet dicas, quòd omnibus naturaliter sit insitum (verba ejus
 sunt) ut SI VELINT, possint esse veritatis participes meritiò id l. 1.
 c. VII. tanquam Pelagianum reljcit; Sin ita intelligas, quòd omnes, SI
 per gratiam VELINT, per eandem possint converti, à ibi lubens admittit.
 Unde l. 2. c. VI. omnium eorum, qui à Deo unquam defecerunt, voluntate
 fieri potuisse scribit, ut à Deo non deficerent, virtute non natura, sed gratia,
 ut statim addit. Hæc ibi. Ad stuporem usq; mireris, si ista legenti in men-
 tem veniat, ac si Pelagianismo affinia sint: Velle enim bonum disertis ver-
 bis naturæ adimitur, & virtuti gratiæ eum in finem transcribitur, ut hæ-
 resis illa evitetur. Additur ibidem: Deus A SUA PARTE hoc præstat,
 ut omnes, si velint, possint se convertere. Repeto verba Augustini su-
 præ allata, quibus apertè adstruit, eum hæreticum Pelagianorum do-
 gma contere proorsum & pedibus quasi conculcare, qui ipsam bonam
 voluntatem & sic omne bonum desiderium Deo tribuit. Si (nonnulli)
 inquit, sic intelligerent, quod dictum est (apud Esaiam:) SI VOLUE-
 RITIS, ut etiam ipsam bonam voluntatem illum præparare considerentur,
 de quo scriptum est: Preparatur voluntas à Domino (Prov. 8. 35.) tanquam
 Catholici uterentur hoc testimonio, & non solùm hæresin veterē Manichæo-
 rum vincerent, sed novam Pelagianorum contererent. Hæc iterum ille. Ubi
 observetur, illud, si volueritis, ex ipsa Scriptura afferri, & ad conversio-
 nis negotium rectissimè accommodari. S. Hieronymus, ubi in hunc E-
 saiæ locum commentatur, & ipse observat, liberum arbitrium seu liber-
 tatem voluntatis ibi indigitari. Si volueritis, inquit, & audieritis me, bona
 terra comedetis: si nolueritis & non audieritis, gladius devorabit vos: Libe-
 rum servat arbitrium, ut in utramq; partem non ex præjudicio Dei sed ex
 meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit. Ita Hieronymus, S. Augu-
 stini in profliganda Pelagianorum hæresi præsertim indefessus.

Quæ-

QUÆSTIO XVI.

Num distinctio quatuor hominis
statuum expediendis hujus doctrinæ
difficultatibus sufficiat?

Qui benè distinguit, benè decet, habet commune verbum, quod in hac etiam doctrina veritatem suam obtinet. Inter alias autem distinctiones, quibus præsens materia dilucidatur, illa principem locum sibi vendicat, ac proinde saluberrimo consilio in scholis retinetur, quâ liberum arbitrium hominis juxta quatuor diversos status consideratur. Tres ad viam, quartus ad patriam pertinet. Isti sunt status *primæ integritatû*, in quo homo ante lapsum constitutus: *subsecuta corruptionû*, in quo priori justitiâ destitutus: *renovata justitia*, in quam per gratiam Christi restitutus. Ille autem est *future gloriæ*, in quem, qui piè ex hac vita discedunt, reponentur. In statu concreatæ *integritatis* (ut breviter singulos videamus) homo viribus ad cognoscendum & amandum Deum sufficientibus instructus, & in agendo non tantum à coactione, verum etiam à necessitate determinationis liber fuit; potuit enim in bono perseverare, potuit etiam non perseverare, & à regia sanctitatis ac justitiæ via liberâ voluntate suâ deflectere. Quod dum fecit, se & omnem posteritatem suam æterno exitio implicavit. Porro in statu *corruptionû*, qui lapsum subsecutus est, omnibus viribus in supernaturalibus destituitur, eod usq; , ut in peccatis mortuus jaceat, ac proinde ad restaurandam vitam spiritualem non plus, quam mortuus ad recuperandam naturalem præstare possit. In statu *reparationû* homini à Deo novæ prorsus vires ad spirituales actiones exercendas necessariæ conferuntur, ita tamen, ut ei integrum maneat, viribus illis uti & non uti, sive talentô illô negotiari & non negotiari: unde adjutorium gratiæ, quod homo ante lapsum habuit, cum adjutorio, quod per reparationem vitiatæ naturæ denuò consequitur, eatenus coincidit, quòd nec illud, nec istud hominem ad unum determinat, sed utrumq; suam in agendo libertatem ipsi relinquit. In statu *gloriæ* homo videbit Deum, sicuti est, ejusq; voluntas summo bono perpetuò inhærebit. Et isti sunt quatuor hominis status, de quibus dictum fuit.

H

Quar:

Quæritur autem, num distinctio illa elucidandæ huic doctrinæ & difficultatibus, quibus ea scætet, expediendis sufficiat? Si, quod res est, dicendû, nimis generalis videtur, ac proinde ad evolvendas difficultates sola plenè satisfacere nõ posse. Id quod luculenter in hunc modû demonstrat. Ut vulgò status isti à doctõribus nostris distinguuntur & enumerantur, secundus eorum dicitur, in quo homo ante conversionem, tertius, in quo post conversionem constitutus est. Nec negari potest, hominem aliter se habere ante conversionem, aliter post conversionem: ibi enim omnibus in univèrsum viribus supernaturalibus denudatus; hîc autem novis à Sp. S. instructus est. Isti igitur status citra controversiã distinctissimi sunt. Cæterum inter duos istos alij adhuc intermediij intercedunt, qui neq; ad illum, nec ad istû commodè satis referri posse videntur. Aliter enim cum homine in initio conversionis suæ ad Deum comparatum est, aliter in ipso conversionis actu. Ibi *merè passivè*, & ut subiectum convertendum se habet, in quo Spiritus S. sine ulla hominis cooperatione solus operatur, dum eum immutat, ejusq; facultates, intellectum & voluntatem, novis viribus instruit. Hîc autem, in ipso sc. conversionis suæ ad Deum actu, homo *activè* se habet, dum per collatas divinitus vires novos & spirituales actus producit & exercet. Quæ omnia paulò aliter & clariùs forsitan ita efferri possunt. Homo ante conversionem & omnem etiam prævenientem gratiam consideratus, nec patitur recipiendo gratiam, nec motûs aut actiones supernaturales elicit. Tum igitur propriè loquendo *nec activè, nec passivè*, se habet. In initio autem conversionis est *subjectum recipiens* gratiam. In ipsa deniq; conversione est *instrumentum liberum*, ut Gerhardus loquitur, sive ut nos dicere malumus, & rectiùs secundum Chemnitium dici arbitramur, *principium eliciens actus*. Aliter igitur (ut concludamus) homo se habet ante conversionem, aliter in initio conversionis, aliter in ipsa conversione. Prout autem ratione gratiæ supernaturalis aliter atq; aliter se habet, ita quoq; in alio atq; alio statu constitutus est.

Quòd hîc aliqua difficultas lateat, inde porrò manifestum est, quòd doctores in eo non consentiunt, quò isti intermediij status, quos ita appellavimus, reducendi sint. Dietericus in *Institutionibus Catecheticis* hominem in ipso conversionis actu spectatum in tertio statu collocat. Verba ejus jam supra adscripsimus, quæ hîc denuò repetenda sunt. *In tertio verò statu*, inquit, *habet se activè, h. e. in ipso actu conversionis volun-*

tas non est otiosa, neq; sine ullo motu aut sensu, ut truncus, sed mota & con-
versa à Spiritu S. consentit & agit. Ita ille. Chemnitius, Hunnius, Ger-
hardus, aliiq; plures hominem in conversione consideratum ad secun-
dum statum h. e. ad statum ante conversionem referunt. Ordine re-
trogrado progredientes audiamus primùm omnium Gerhardum. l. 6.
Promanat ex hoc fonte, ait ille, πολυπόδην & illa distinctio inter qua-
druplicem hominù statum, quæ jubet hominem considerare, primò in natu-
ra instituta, h. e. in concreata originali perfectione ante lapsum; deinde
in natura desinita & corrupta post lapsum, cùm ante reparationem, tum in
ipso conversionis actu, quomodo ad gratiam Dei sese habeat. Hæc Gerhar-
dus. Egidius Hunnius, cùm interrogasset: Qui & quot sunt status ho- l. c.
minis? ita respondet: Quatuor. Primò enim consideratur homo in concrea-
ta originali perfectione ante lapsum; deinde in natura corrupta post la-
psum, cùm ante reparationem, tum in ipso conversionis actu, quomodo ad
adventantem gratiam sese habeat. Tertio post factam conversionem & re-
generationem in statu novæ obedientiæ. Quarto in consummata perfectione
alterius seculi post resurrectionem. Ista Hunnius. Chemnitius deniq; ita ha-
bet: Si item de secundo statu queritur: An (homo) ex suis naturalibus viribus LL. Comm
afferat ad conversionem vel renovationem aliquam facultatem vel actio. de lib. arb.
nem, quæ vel partialis causa, vel quocunq; alio nomine appelletur, verè re- p. 489.
spondetur, quòd habeat se merè passivè. Hactenus illi. A partibus Dieter-
rici, qui actum conversionis ad tertium statum refert, illud stare videtur,
quòd homo haudquaquam aliter se habet in conversione, aliter post con-
versionem, si productionem actuum spectes: quemadmodum enim
homo in conversione per collatam gratiam novos motùs & actiones
elicit, intelligendo mysteria, volendo bonum supernaturale &c. ita
etiam post conversionem per eandem gratiam opera pietatis exercet.
Tantum in gradibus gratiæ ratio aliqua diversitatis apparet. In con-
versione per gratiam operantem & præparantem omnia fiunt; post
conversionem per gratiam inhabitantem & sanctificantem. Et hæc ita
pro Dieterico. Pro altera parte illud urgeri potest, quòd omninò aliud
esse videatur, in ipsa conversione occupatum esse, aliud post conver-
sionem ita vel aliter se habere. Ego jam nihil hic determinabo; illud
tantùm notari velim, quòd quando de cooperatione hominis disputa-
tur, de ea sano sensu accepta diversimodè loqui, & juxta diversas
doctorum sententias nunc ad secundum, nunc ad tertium statum.
eandem

Hist. Pel.
I. V.

eamdem referre possimus. Quod si enim cum Chermanio, Hunnio & Gerhardo actum conversionis ad secundum statum reduxeris, rectè dicetur, hominem in isto secundo statu (non equidem ante reparationem, sed post reparationem seu collatas novas vires) gratiæ divinæ cooperari, sive, quod idem est, per eam actus conversionis exercere. Sin- cum Dieterico feceris, non nisi in tertio statu homini cooperatio tribui poterit. Opportunè in mentem venit, quod in Vossio observavi, ad elucidanda ea, de quibus hæctenus disputatum fuit, pertinens: *In primo tertioq; statu, inquit ille, (cùm tres hominis status, primava integritati nimirum, insecuta corruptionis & renovata justitia enumerasset) homo libertatem habet ad quodcumq; boni genus, nec solum libertatem à conditione, sed etiam à necessitate. Secundus vero status bifariam spectatur, nempe in se & ante omnem gratiam, tum cū aliqua gratia, disponente ad regenerationem. Priori modo consideratus, in naturalibus libertatem habet magnam, in moralibus minorem, in spiritualibus nullam. Posteriori si modo spectetur, pro gratiæ preparantis mensura minorem majoremq; habet libertatem. Loquor autem de libertate ad actus, qui ab homine præstantur, non de ipsa vocatione, inspiratione, illuminatione, excitatione: ad qua merè se habes passivè: unde & divinam hanc vocationem necessariò sentit, solum, ut vocationi consentiat, non necessitatis est, sed libertatis. Hæctenus Vossius, qui de concursu gratiæ & lib. arbitrii acutissimè juxtà ac felicissimè disputat, & ut aliàs studio partium non facilè abripitur, ita hîc quoq; à communi suæ partis doctrina de gratia determinante planè recedere videtur. Præclare insuper demonstrat, communem nostrarum ecclesiarum de gratia & lib. arbitrio doctrinam ac fidem, in Scripturis & antiquitate solidè fundatam esse, & cum Pelagianismo, qui communiter à Reformatis ei hîc impingi solet, nihil quicquam commune habere. Quo nomine Vir iste in antiquitate versatissimus & acerrimi judicii jure meritoq; magni à nobis fit.*

Ego de iis, quæ lucem forsitan allatæ distinctioni foenerari possent, nihil nunc addam. Nihil etiam in iis determinabo, num actus conversionis cum Gerhardo & Hunnio ad secundum statum; an vero cum Dieterico ad tertium commodiùs referatur. Doctioribus & acutioribus ansam saltem de iis cogitandi, & si occasio ferat, ea expediendi præbere volui. Neminem autem eò audaciæ & temeritatis pro-

gres-

gressurum spero, ut sub nota heterodoxias, vel planè hæreseos hic quicquam in alterutram partem determinet, eamq; vel Dieterico, vel Gerhardo inurat. Utroiq; enim vires gratiæ supponuntur, adeoq; in ipso fundamento nullus dissensus est. Velim etiam nonnulli vel ex hoc exemplo discant, optimos quoq; & præstantissimos catholicæ fidei ac regulæ defensores, quod ad subtiliorem gravissimarum controversiarum explicationem attinet, nonnunquam dissentire posse, adeoq; necessarium non esse, ut si quis itidem in Academica difficilis cujusdã quæstionis tractatione occupetur, præse semper hujus vel illius vestigiis insistat, multò minùs ut p̄sctaci instar alterius verbis loquatur. Fundamentum salvum esse oportet, (qua de re jam supra aliquid monuimus,) ita quidem, ut nec directè impugnetur, nec quicquam adstruatur, quod illud per indirectum sive per consequentiam, pronam imprimis & obviam, subvertere queat. Fundamentò ad istum modum salvò, omnia salva sunt. Nos ad finem properantes, ecclesiis nostris de eo animitùs gratulamur, quòd, ut in aliis, ita in hoc quoq; fidei articulo fundamentum hæctenus immotum retinuerunt. Precor insuper supremum veritatis doctorem & conservatorem, ut nos perpetuà gratiæ suæ adfistentiã beet, ac in veritate stabiliat, roboret, fundet: caritatem quoq; in cordibus nostris diffundat, Satanamq; discordiarum autorem sub pedes nostros conculcet, qui pacis Deus est. Quò juxta incredibile S. Pauli desiderium *idem sapiamus, eandem charitatem habeamus, ut unanimes simus, unum idemq; sentientes: nihil per contentionem aut inanem gloriam* (agentes,) *sed in humilitate alii alios* (eos scilicet, qui doctrina & virtute antecellunt) *superiores arbitantes sibi ipsis.* Misereatur deniq; afflictissimæ & tantoperè dilaceratæ ecclesiæ suæ, qui eam sanguine suo mercatus est, cui cum Patre & Spiritu S. sit gloria in sempiterna secula.

Appendix.

Qui hanc disquisitionem nostram mediocri diligentia pervolverit, nullo negotio deprehendet, nos non nudè veritatem fundamentalem, quam ecclesia catholica in hac doctrina constanter amplexa est, proposuisse; sed cum primis etiam expediendis pro virili difficultatibus, quibus ea scætet, operam nostram impendisse. Fundamentalis, de qua loquor, veritas in eo consistit, ut in rebus spiritualibus sive ad conver-

tionem & salutem hominis pertinentibus nihil quicquam naturæ viribus arrogemus, sed speciali & intrinsecùs operanti gratiæ Spiritûs S. omnia, minima maxima, unicè accepta feramus. Quod fundamentum, in primis statim disquisitionis nostræ quæstionibus firmiter positum, eiq; cætera omnia superstructa esse, candido lectori obscurum esse non poterit. Quin & hîc & alibi contra errores, qui fundamentum istud vel subvertunt, vel labefactant, me unicâ adsertione istâ satis superq; communivi, dum disertis vèrbis scripsi, *Spiritum S. in conversione hominis donare vires & facultatem, ita ut beneficio collateralium virium illarum UNICE OMNIA fiant, quæ ab homine præstantur.* Quòd si enim per vires à Spiritu S. donatas unicè omnia fiunt, neq; initium conversionis & salutis cum Semi-Pelagianis, neq; progressus ejus cum Synergistis, quos vocant, minimè omnium autem totum negotium illud viribus naturæ cum damnatis Pelagianis adscribendum erit. Fundamentum igitur salvum est, nec quicquam occurrere video, analogiæ fidei quod adversetur.

Quod autem ad difficultates hujus doctrinæ attinet, quæ sanè gravissimæ sunt, in iis extricandis me itidem salvâ semper fidei fundamentalis compage versatum puto: quanta enim potui & debui diligentia, id semper observavi, ne nativis lib. arbitrij viribus ullâ, vel minima ex parte, quicquam in explicanda cooperatione hominis seu concursu gratiæ & lib. arbitrij attribueretur. Quæ omnia dextrè explicare ad eruditionem Theologicam magis, quàm ad fidem pertinet. Scripsi equidem quæstione quintâ, ea, quæ de cooperatione hominis ex F. C. & Chemnitio multis ibi disputata sunt, non esse nugas aut tricas Scholasticas; verum enim verò ad ipsam doctrinam ibi respexi, quæ istis continetur, non ad terminos illos, quibus ea tot jam seculis à doctoribus explanatur. Doctrina ipsa doctrina fidei & quàm maximè necessaria est: omnino enim auditores subinde erudiendi & adhortandi sunt, ne gratiam Dei in vanum accipiant, sed ut talentò illò graviter negocientur. Cæterùm quod ad explicationem doctrinæ istius attinet, prout his præcisè terminis (cooperatio, concursus, &c.) substat, ita ad eruditionem magis, ut dixi, & peritiam Theologicam, quàm ad fidem ista pertinent. Unde etiam à sacro ambone ad cathedram Academicam omnino releganda sunt. Nec sine fraude & insigni injuria quis ex sacra pergula dixerit, eum, qui cooperationem voluntatis humanæ sive concursum gratiæ & lib. arbitrij sano & orthodoxo sensu admittit, id velle, quod Germani, quando

quando dicunt, *der wil des Menschen müsse intertreffen*: verba enim ista Germanica longè aliud sonant, quàm vox cooperari, sensu quidem, quo ab orthodoxis adhibetur, sancta. Id nim. innuunt, quòd voluntas hominis causa sociæ Spiritûs S. existat, suasq; naturales etiam vires ad actus spirituales conferat; quemadmodum vox mereri vernaculo sermone prolata meritum strictè dictum importat, de quo tamen nec Cypriano, nec aliis veteribus quicquam in mentem venit, cum voce illâ usi sunt.

Dicat quis, vocem illâ, *cooperari*, utut sanum sensum admittat, nihilo tamen minùs incommodiorem censerì posse, cum causam sociam seu adjuvantem omninò importare videatur, *σι κατὰ τὸ ῥητόν*, seu prout jacet & sonat, accipiatur, ac proinde tutissimum esse, ab ea prorsum abstinere. R. Quicquid hac de re sit, F. C. & Chemnitius, ut à nobis demonstratum fuit, ex ipsa Scriptura vocem illam arcessunt, & ad conversionis ac salutis negotium absq; dubio rectissimè accommodant. Prætereà certum est, gratiam, cujus virtute in spiritualibus unice omnia præstamus, jam tum Augustini ævo in operantem & cooperantem distinctam esse. Quam distinctionem Chemnitius utilem censeret, & omninò in ecclesia retinendam. Cum igitur tot jam seculis tot catholicis & præstantissimis doctoribus vox illa usurpata, nec non libris ecclesiarum nostrarum symbolicis jam inserta sit, quis sanus & orthodoxus eius sensus, omninò explicandum est. Fateor equidem, me vix apud quemquam recentiorum planam ejus expositionem reperisse, utut non absq; diligentia inquisiverim. Puto autem, eam, quam ex S. Augustino & Clar. Hornejo erui, planissimam esse & commodissimam. Dicatur nim., *cooperari* nihil aliud esse, quàm *gratiâ collatâ uti*, sive *talentò gratia negotiari*, si ve deniq; *per eam* aliquid boni *operari*. Ita fundamentum hujus articuli salvum manet, & intricatiora faciliùs expediuntur. Spiritus S., ut diximus, gratiâ suâ initium facit, dum eâ nos prævenit & instruit, ubi *in nobis sine nobis* operatur, ut Augustinus præclare loquitur. Quamprimum autem homo gratiâ collatâ utitur, cooperatur: tum enim non amplius solus DEUS in nobis sine nobis operatur, sed homo cum gratia concurrat, dum per eam benè operatur. Cæterùm accuratiores istorum explanatio ad peritiâ Theologicam, ut dictum fuit, non ad fidem pertinet. Sufficit autem, si in iis, quæ ad fidem & salutem necessaria


saria sunt, consentiamus. Quòd si igitur ad cooperari quis aliter fortè
 explicet, modò ita rem expediat, ut fundamentum nec subvertatur, nec
 labefactetur, & omnia salva sunt. In talibus praesidis locum caritas te-
 neat, semperq; illius Apostolici memores simus: *Tolerate vos invicem in
 caritate.* Quòd si quis de ardua hac & difficillima materia per literas ami-
 cè & fraternè mecum agere voluerit, tam gratum id erit, quàm quod gra-
 exchiridio tissimum. *Quum ista quarantur, dico cum S. Augustino, & ea, sicut potest,*
 ad Lauren quisq; conjectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur discepta-
 tium. *tio moderata, & absit error opinantium, se scire, quod nesciunt. Quid enim*
 cap. 59. *opus est, ut hæc atq; huiusmodi affirmantur vel negentur, (ut ad sa-*
lutem necessaria) vel definiantur cum discrimine, (sub anathemate,) quando sine crimine nesciuntur? Hæc iterum præclarè malleus ille,
 hæreticorum, Pelagianorum cum primis & Manichæorum. Alibi
 aurea prorsus habet, quibus totam hanc scriptionem ob signo. *Quoniam*
sunt quidam (ita sub initium libri de gratia & lib. arbitrio ad Valentinū &
Monachos cum illo scribit) qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent ho-
minis liberum arbitrium: aut quando gratia defenditur, negari existiment
liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentinus
frater, & ceteri, qui simul Deo servitū, compellente mutuā charitate cura-
vi. Nunciatum est enim mihi de vobis, fratres, ab aliquibus, qui in vestra con-
gregatione sunt, & ad nos inde venerunt, per quos & ista direximus, quod
de hac re (de gratia & lib. arb.) dissensiones in vobis sint. Itaq; dilectissimi,
ne vos perturbet huius questionis obscuritas. Moneo vos primum, ut de his,
que intelligitis, agatis Deo gratias: quicquid est autem, quod nondum perve-
nire potest vestre mentis intentio, pacem inter vos & caritatem servant es, ad
Domino, ut intelligatis orate: & donec vos ipse perducat ad ea, que nondum
intelligitis, ibi ambulate, quòd pervenire potuistis. Hoc admonet Apostolus Pau-
lus, qui cum dixisset, nondum se esse perfectum, pauld post ait: Quot quot ergò
perfecti (sunt) hoc sapiamus: i. e. ita nos esse perfectos (arbitremur), ut nondum
ad perfectionem, que nobis sufficit, venerimus; continuoq; subjunxit: Et
si quid aliter sapit, hoc quoq; Deus revelabit. Veruntamen, in quod per-
venimus, in eo ambulemus. Ambulando quippe in quod pervenimus, &
quòd nondum pervenimus, pervenire poterimus, Deo nobis re-
velante, si quid aliter sapimus, si ea, que jam revela-
vit, non relinquamus.

F. Reppien

quando dicunt, *der toll des Menschen müsse inter*
 Germanica longè aliud sonant, quàm vox cooperari
 ab orthodoxis adhibetur, sumpta. Id nim. innuunt,
 nis causa locia Spiritus S. existat, suasq; naturalis
 spirituales conferat; quemadmodum vox meriti
 prolata meritum strictè dictum importat, de quo
 no, nec aliis veteribus quicquam in mentem ve
 sunt.

Dicat quis, vocem illà, *cooperari*, ut ut sanum se
 tamen minùs incommodiorem censerì posse, cù
 adjuvantem omninò importare videatur, si *no*
 jacet & sonat, accipiatur, ac proinde tutissimum es
 tinere. R. Quicquid hac de re sit, F. C. & Chem
 monstratum fuit, ex ipsa Scriptura vocem illam argu
 tionis ac salutis negotium absq; dubio rectissimè
 terea certum est, gratiam, cujus virtute in spirituali
 stamus, jam tum Augustini avo in operantem &
 etiam esse. Quam distinctionem Chemnitius utilem
 ecclesia retinendam. Cùm igitur tot jam seculis
 frantissimis doctoribus vox illa usurpata, nec non
 strarum symbolicis jam inserta sit, quis sanus & or
 omninò explicandum est. Fateor equidem, me vi
 centiorum planam ejus expositionem reperisse, ut
 tia inquisiverim. Puto autem, eam, quam ex S. Au
 nejo erui, planissimam esse & commodissimam. I
 ri nihil aliud esse, quàm *gratià collatâ uti*, sive *talent*
 ve deniq; *per eam* aliquid boni *operari*. Ita fundam
 salvum manet, & intricatiora faciliùs expediuntur
 mus, gratiâ suâ initium facit, dum eâ nos præven
 nobis sine nobis operatur, ut Augustinus præclare le
 mum autem homo gratiâ collatâ utitur, coope
 amplius solus DEUS in nobis sine nobis opera
 gratia concurrat, dum per eam benè operatur.
 istorum explanatio ad peritiam Theologicam, ut
 fidem pertinet. Sufficit autem, si in iis, quæ ad fidem

im ista
 n, quo
 homi
 dactus
 mone
 ypria
 illâ usi
 nihilo
 am seu
 prout
 m ab
 bis de
 onver
 . Præ
 a præ
 distin
 inò in
 & præ
 m no
 sensus,
 am re
 ligen
 . Hor
 opera
 ri, n
 riculi
 ut dixi
 bi in
 mprim
 m non
 cum
 orator
 non ad
 neces
 saria



the scale towards document